Transimus In Jonam
A.
IV.
86

8. 24. E. 14

IN IONAE PROPHETIAM

COMMENTARII, VNA CVM Paraphrasi poëtica in fine. A Don IOANNE TREMINIO Alonensi, S. Theol. Doctore, Scholastico, & Canonico in Cathedrali Ecclesia Oriolen̄.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET Reuerendissimum D. F.D. Andream Balaguer Episcopum Oriolensem, & Regium Consiliarium, &c.

ORIOLÆ, Apud Ludouicum Berosium.
Anno Domini M. DC. XXIII.

Coll. Rom. Soc. Iesv. B.S.

EX Cõmissione Domini Garcerandi Gali, Decretorum Doctoris, Officialis & Vicarij Generalis Oriolen. perlegi semel, atque iterum Commentarios D. Ioannis Treminio, Canonici & Scholastici Sedis Oriolen. in Prophetam Ionam; quos quidẽ locupletissimos, & eruditione ac doctrina valde refertos iudico. In quibus nihil contra catholicæ fidei dogmata, sanctos Patres, nec bonos mores inueni. Immo Sacræ Theolgiæ studiosis, admodum vtiles ac necessarios existimo. In cuius rei testimonium hic me subscribo xv. idus Septemb. 1622.

Doctor D. Marcus Antonius Palau, Sedis Oriolen. Canonic. Præpositus.

COmmentarios in Ionam Prophetam D. D. Ioãnis Treminio Doctoris Theologi, & in Sancta Ecclesia Oriolana Scholastici dignissimi, ex cõmissione Domini Galcerandi Gali Officialis & Vicarij Generalis attente perlegi, & nihil in eis reperi, quod possit, meo iudicio, pias & christianas aures offendere. Immo verè dignissimos censeo, qui in communẽ Ecclesiæ Sanctæ vtilitatem edantur: in eis namq; tàm sensus litteralis quàm allegoricus, profundè, docte & grauiter proponitur, ex quo interpretandi genere, consulto, videlicet, originali textu, & Sanctorum Patrũ scholijs & auctoritatibus concinnè, & ad amussim positis, nostra Vulgata mirificè illustratur, & defenditur, & omnes ex horum lectione, fructus vberrimos ad sacras litteras intelligendas colligent. Oriolæ 30. Decembris, Anno Dñi 1622.

Ioannes Garcia S. Theol. Doctor, & Canonicus Magistralis Ecclesiæ Oriol.

¶ LICENTIA.

NOS Frater Don Andræas Balaguer Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Orioleñ. & de conſilio Regiæ Maieſtatis &c. Quoniam hi Commentarij in Ionæ prophetiam, vna cum Paraphraſi poëtica, cõpoſiti á Doctore Don Ioanne Treminio, Scholaſtico, & Canonico noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Orioleñ. ex commiſsione noſtra examinati, & approbati fuerunt, à viris valde eruditis, Doctoribus, Canonicisque dictæ noſtræ Eccleſiæ, vt ex eorum atteſtationibus conſtat. Tenore præſentium, licentiã concedimus, & facultatem, vt in hac noſtra diœceſi, poſsint typis excudi, & lucẽ aſpicere. Dat. Oriolæ in noſtro Palatio Epiſcopali, die 29. menſis Maij, Anno Domini M. DC. XXIII.

Frater Andræas Balaguer
Epiſcopus Oriolen.

De mandato dicti Dñi mei Epiſcopi.

Ioannes Bapſtita Marco Secr.

¶ PHI-

PHILIPPI CORBINI DOCTORIS Theologi, & in Cathedrali Eccleſia Oriolenſi, Canonici Magiſtralis.

IN LAVDEM OPERIS ET AVCTORIS.

¶ EPIGRAMMA.

NAufragus in Ceti ſecurus ventre quieſcit
Vates, & tumidas, vi ſine, ridet aquas.
Trinam poſt lucem vomitur Piſtricis ab alvo,
Ac læta innocuum ſeruat arena virum.
Tot dum *TREMINIVS* miracula vera recenſet,
Mentibus ingenuis talia verba dabat:
Mendaces valeant fabellæ, in ſomnia vana:
Mira magis fictis Pagina ſacra refert.

DOCTORIS DON ILDEPHONSI Lopez Canonici Magiſtralis Eccleſiæ Oriolenſis, ad Scholaſticum dictæ Eccleſiæ, & Concanonicum ſuum Doctorem Ioannem Treminium Auctorem huius operis.

¶ EPIGRAMMA.

CErnere Rethoricas optat quicumque figuras,
Multorumque breui margine dicta Patrum:
Naſonis, Senecæ, recreant quem docta Maronis
Carmina, quem Cicero, quem loca mira iuvant:
Hoc opus euoluat, quo florea prata videbit,
Vnum pro cunctis, & ſatis iſtud crit.

FERDINANDI DE LA GASCA S. T. Licenciati, & in eadem Cathedrali Ecclesia Regij Capellani.

¶ IN LAVDEM LIBRI, ET AVctoris, Carmen Elegiacum.

QVÆ retulit quondã Christi mysteria, *IONAS*
Mirificè gestis significata suis,
Explicat egregiè *ALONIS* præclarus alumnus
Insigni eloquio & Carmine *TREMINIVS*.
In paruo, magna est doctrinæ copia, libro
Vnde potes multas promere, Lector, opes,
Hìc efflorescit Latiæ facundia linguæ
Hìc Phœbæus honor, Pieriumque decus.
Hìc, abstrusa nimis diuina arcana, patescunt.
Quæ Vates olim concinuere pij.
Hìc pretiosa nitent Sophiæ charismata sacræ.
Hìc præcepta bonis moribus apta vigent.
Ergo quisquis amas cœlestes carpere fructus,
Hic tibi quos hortus præbet, amice, lege.

¶ IN

Carmen Elegiacum, à Franciſco Leone Oriolano, in eadē vrbe ludi Magiſtro.

QVAE raro valde iungi natura negauit,
Cum proſa Carmen cernimus ecce ſimul.
Siue autem pedibus curras, celſuſque veharis,
Diuinum quiddam fundis ab ore tuo.
Deſinat ergo ſuos poſthac iactare vetuſtas
Attlantes, ornat ſæcula noſter olor.

¶ ALIVD EIVSDEM.

NON ſic concentu dulcis permulcet aedon
Aures, dum cantus concinit illa ſuos
Vt tu, dum gemino fulgens candore loquendi
In cælum mentes allicis, atque rapis.
Ergo tibi poſthac quadrabit nomen honeſtum
Atthidis, hoc pulchro nomine dignus eris.

¶ ALIVD EIVSDEM.

INgenio quantū valeas, quamq; ampla ſupellex
Sit tua, demonſtrat clarius iſtud opus.
Illuſtrat liquido quod, crede, oratio duplex
Carminis, & proſæ quam bene iuncta ſimul!
Teſtatur terſum carmen pol mentis acumen,
Dulcius exiſtens nectare, & ambroſia,
Proſa autem varijs gemmis ornata decenter
Sit rerum, monſtrat, copia quanta tibi
Ingenium, tales fœtus promiſerat olim;
Maiores certe reddidit ingenium.
Diceret haud melius proſa vel Tullius olim;
Diceret haud melius Carmine Virgilius.
In cœlo mire lætari, credo, Prophetam,
Quod videat doctis iure placere librum.
Ergo ſuo poſt hac ~~tanto ſe iactet~~ alumno
Patria, florentem denique nacta virum.
Quē Dominus clemens multos cōſeruet in annos,
Cygneum cantum quo canat egregie.
Interea veſtrum lauro celebrate poëtam
Pierides, grandi munere dignus adeſt.

EIVSDEM

Eiuſdem Leonis Carmen Adonicum.

O Edipus alter,
Alter Apollo,
Gloria noſtri,
Maxima Templi.
Qui dabat ante
Carmina terſa
Plena leporis
Scripta Latiné
Grata Camenis:
Quique legendo
Repperit aurum
Diuitis Indi.
Attulit altum
Luce coruſcum
Nunc opus iſtud.
Explicat ipſo
Voce ſoluta
Concomitata
Carmine dulci
Diuite vena
Mentis acumen
Inclytus autor.
Hic quoq; monſtrat
Facta Prophetæ.

Deuia primum
Impatientis
Nomine Ionæ.
Cernere vero
Facta potentis,
Eſt quoque promptum
Cætera monſtrant.
Scripta polite
Ordine pulchro.
Vndique librum
Laudibus altis
Tollit abunde
Illico doctus
Colliget inde
Commoda multa
Quiſque diſertus
Hic roſa ſuauem
Hortulo in iſto
Nocte, dieque
Naribus aptum
Fundit odorem.
Lilia ſuntque
Alba colore
Grata cuique

Vitibus

Vitibus vua
Rubra nitore
Obuia paſſim
Aduocat ecce.
Hic Violæ omnes
Lumina paſcunt.
Hic quoque laurus
Fulmina dira
Non timet vlla.
Myrtus amæna
Gaudia tradit,
Flore ſubinde
Pulchra videtur.
Dulcis amica.
Hic Philomela,
Attica plane
Voce canora
Garrula ſemper,
Dulciter omnes
Sedula fundit
Ordine cantus.
Hic olor albus
Flumina iuxta
Agmine grata
Peſtrepit ore:
Celſa Cupreſſus
Proficit vmbra.
Illicò ſomnum

Murmure dulci
Suadet inire
Hic apis ipſa
Rite fauosque
Sedula præbet
Hic Heliconis
Delitiæ ſunt
Indubie omnes
Docta Minerua
Dulcis Apollo
Turba ſororum
Conſidet vna
Nec Charites hinc,
Crede, mihi, abſunt.
Eſt locus ipſis
Lætus vbique
Quælibet arbor
Tempore quouis,
Aurea mala
Heſperidum inſtar
Suggerit apte
Abſque dracone:
Aura ſalubris
Corpore toto,
Inſinuat ſe.
Denique ſedes,
Delitijs mox
Vndique ſenſus

Allicit

Allicit omneis.
Ergo diſerti
Cura coloni,
Qui dedit iſta,
Tempus in omne
Sydera ſupra
Iure profecto
Fama vigebit.
Ne velit ergo
Zoylus audax
Lædere quidquam
Dente Canino
Scripta venuſte.
Dulcis Alona
Patria fœlix,
Cognita cunctis
Terque, quaterque
Nomine, reque
Nobilitata
Se ornet alumno.

Hinc quoque dona
Hauriet herclè
Maxima, crede,
Perlege, quo iam
Cernere poſsis,
Condita quæ hic ſunt
Munera pulchra,
Tradita belle.
Hoc vbi primum
Feceris iſtud;
Diſpeream, ni
Gutture pleno
Dixeris, hic nos
Conſona rebus
Eſſe locutos.
Debita prompte
Ergo corona
Floribus aucta
Illico detur
Vndique docto.

FRAN-

Franciſci de Caſcales, ſeptem Artium Liberalium Licenciati, & in Murtienſi ciuitate litterarum humaniorum profeſſoris.

IN LAVDEM OPERIS. ET AVCTORIS.

¶ EPIGRAMMA.

HVC ades, ò frugalis homo, pietatis amator,
Hûc, placidæ cultor relligionis, ades:
En tibi *TREMINIVS* ſacraria pandit Ionæ,
Quem profugum clauſit gurgite Phoca ſuo:
Quemque (vbi ſolterno repetiuit Atlanta meatu)
E medijs terræ faucibus euomuit.
Qui pupugit magnæ Niniuitas vrbis alumnos
Obminitans pœnas, ò Rhadamante, tuas.
Qui recubans hederæ ſomno pellectus in vmbra
Succenſet Domino: ſed puto de nihilo (cluſit
Hæc ſibi quid poſcant (neque enim Deus ille re-
Omnibus)id ſolus det tibi *TREMINIVS*.

AD

ILLVSTRISSIMO, AC REVE-rendiſsimo Domino Fratri Don ANDRAE AE BALAGVERIO Epiſcopo Oriolano, Regioq; Cõſiliario, &c. Don Ioannes Treminius Doctor Theologus, Scholaſticus, & Canonicus Oriolanus.

S. P. D.

ERVBESCEREM ſanè, Præſul vigilantiſsime, tã exiguum & exile opus ſplendidiſsimo nomini tuo conſecrare, niſi me mirum inmodum, egregiæ virtutis, atque benignitatis tuæ, (qua ad Deum, vt fas eſt homini proximè accedis) magnitudo recrearet. Deus enim tam excelſus cum ſit, humilia reſpicit, atque animum potius offerentis, quam donum contemplatur. Quique in tabernaculi conſtructionem, non modo aurum, argentum, gemmas, aliaque pretioſiſsima, verum etiam pilos caprarum, pelles arietum, atque viliora munera accipere non fuit dedignatus. Offero quidem tibi, Ampliſsime Pontifex, vnum de minoribus (vt aiunt) Prophetis, adeò tamen magnum, vt nõ ſolum Chriſti Optimi Maximi præclariſsimum typum, atq; imaginem referre, ſed ipſius etiam diuino ore meruerit commendari. Qui tametſi pro humana imbecillitate non nihil à Dei gratia per inobedientiæ culpam ſe ſe abalienarit,

atque

atque ab impoſito ſibi prophetandi munere deſciuerit, diuino tamen beneficio, ad meliorem mentem rediens, in tantam euaſit virtutis, atque ſanctitatis excellentiam, vt ipſi ab Eccleſia Romana ſolemnis dies in ſacris faſtis dedicatus ſit. Quod ſi meus hic Ionas ab ingeniolo meo nunc euomitus potius quam editus ſub tui perpetuò virētis fauoris vmbraculo, à maledicorum hominum æſtu cōtegatur, ſpero futurum, vt eius vociferationibus incitati reliqui Collegę mei huius Cathedralis Eccleſiæ Oriolen. Canonici atque Doctores, tam in Sacra Theologia quàm in iure Pontificio præſtantiſsimi, quæ habent in Sacroſanctam Scripturam elaborata commentaria, aliaſque eruditiſsimas lucubrationes, excuſſo iam puluere & ſitu, ſtatuant in lucem prodere, atque ad cōmunem vtilitatem perpetuis litterarum monumentis conſignare. Accipe igitur, Antiſtes ornatiſsimè, pro tua humanitate, duo hæc minuta æra, quæ in opulentiſsimum Amplitudinis tuę gazophylacium ingenij mei paupertas intulit, habeaſque munuſculum hoc tamquam certiſsimum ſignum amoris, & reuerentiæ erga te meæ. Deus Opt. Max. Dominationem tuam Reuerendiſsimam diutiſsime conſeruet, atq; omnibus veræ fœlicitatis donis cumulet.

VALE.

LECTO-

INGENVE fateor, Amice Lector, debuisse à me iam plusquam septuagenario, post sex & quadraginta ferè annos, partim in diuini verbi prædicatione, partim in Sacrarum litterarum interpretatione consumptos, maiora, ac præstantiora edi studiorum meorum monumenta. Vereor namque ne multi viri grauissimi, apud quos nonnullam de me concitaui expectationem, videntes tandem emitti commentariolum hunc in Ionæ prophetiam (quæ quatuor tantum capita complectens historica valdè est, & haud explicatu difficilis) merito in me cõtorqueant scomma illud Horatianum: Parturiunt montes nascetur ridiculus mus. Præsertim cum hoc ævo quotidie in lucem prodeant innumera atque præclara doctissimorum hominum in Sacram Scripturam opera, quibus catholicã Ecclesiam mirificè illustrãt exornant, tuentur. Sed tibi prudens Lector, statim debet occurrere ea cogitatio, quod non omnia possumus omnes, & qui maioribus hostijs non valent, thure & farre dijs sacrificare consueuerunt. Quamquam verè affirmare possim me nõ mea sponte, sed importunis amicorum precibus adductum fuisse ad opusculum hoc typis committendum, habeamque sub litturis nonnullos alios copiosiores in Sacram Scripturam commentarios, quos si per ætatem & valetudinem liceret ad incudem reuocare, & in vulgus proferre, non dubito, quin huic Ionæ tàm humili & abiecto omnem squalorem moestitudinem, & verecundiam adimere potuissent. Tu vero interim animum meum æquo animo suscipe, consiliũ boni

boni consule, & si quid à me, vt homine, erratum sit, pro tua humanitate, & eruditione corriges: Si quid aptè concinnèque dictum Deo Opt. Max. adscribe, acceptumque refer. Hoc etiam te scire volo, in his Cõmentarijs ad maiorem sacri eloquij explicationem, plurimas adduci dictiones, seu voces Hebraicas, quas oportebat proprijs ac germanis characteribus excudi. Verum Hebraicorum typorum inopia, Latinis litteris fuerunt editæ: Ipsis tamẽ perspectis, quiuis, linguam sanctam mediocriter edoctus, poterit non magno labore Codices Hebræos consulere. Vale.

¶ Nec typographi solertia, nec correctoris industria, impedire potuerunt, quo minus inter excudẽdum nonnulli errores se se insinuarent, quos in vltima huius operis pagina annotatos vna cum suis emendationibus reperies. Corrige etiam hæc errata, quæ in principio Allegoriæ D. Augustini in fine libri positæ, se se intromiserũt, videlicet, linea 27. quæritur, *lege* quærit. linea 29. Deti, *lege* Ceti.

IOANNIS

IOANNIS TREMIÑO ALONENSIS, DOCTORIS THEOLOGI, & in Sancta Eccleſia Oriolana Scholaſtici, & Canonici.

IN IONAM PROPHETAM COMMENTARII.

Caput Primum.

ET factum eſt verbum Dñi ad Ionam filium Amathi, dicẽs: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grãdem, & prędica in ea: quia aſcendit malitia eius coram me. Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis á facie Domini, & deſcendit in Ioppem, & inuenit nauem euntẽ in Tharſis: & dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis á facie

Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari,& nauis periclitabatur conteri. Et timuerunt nautæ,& clamauerũt viri ad Deum suum: & miserunt vasa,quæ erant in naui, in mare,vt alleuiaretur ab eis: & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge,inuoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus. Et dixit vir ad collegam suum: Venite,& mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malũ istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos: Hebræus ego sũ, & Dñm Deum cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc feciſti? (cognouerunt enim viri quod à facie Dñi fugeret, quia indicauerat eis.) Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi,& cessabit mare á nobis? quia mare ibat,&intumescebat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mititte in mare,& cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grãdis venit super vos. Et remigabant viri

vt re-

vt reuerterétur ad aridam,& nō valebant:quia mare ibat,& intumeſcebat ſuper eos.Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Quæſumus Dñe,ne pereamus in anima viri iſtius,& ne des ſuper nos ſanguinem innocétem: quia tu Dñe ſicut voluiſti, feciſti. Et tulerunt Ionam,& miſerunt in mare: & ſtetit mare à feruore ſuo. Et timuerunt viri timore magno Dñm, & immolauerunt hoſtias Domino,& vouerunt vota.

Argumentum Capitis.

IONAS, miſſus à Dño ad prædicãdum Niniuitis, diuinum mandatum exſequi renuens, vt in Tharſum fugiat,nauim conſcendit. Sed ingẽti tempeſtate exorta,per ſortes deprehenſus, ac delictum ſuum confeſſus,tamquam tempeſtatis auctor & cauſa,volens in mare á nautis proijcitur: ac ſtatim tempeſtas ſedatur.

COMMENTARIVS.

¶ Et factum eſt verbum Domini.)

HEBRAICE: *Et fuit verbum Domini.* Quamquam Theophylactus, Rupertus in hunc locum, & D. Gregor. in 1. cap. Ezechielis exiſtiment,maximã ineſſe vim & emphaſim in particula ET, quæ coniunctionem ſolet denotare ſequentis ſermonis cum præcedenti: Cumq; in mente Prophe-

tarum, (ait Gregorius) ità coniuncta sint exterioribus interiora quatenus vtràque simul videant, simulque in eis fiat, & intus verbum quod audiunt, & foris quod dicunt patet causa cur, qui nihil dixerat inchoauit, dicēs: & factum est. Quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat cōiunxit.) Ita Gregor. Hebræi tamen linguæ periti, affirmant esse Hebraismum; & hoc loco nullam aliam prophetiam, aut sermonē præcedentem cum sequenti cōiungere; sed esse id Hebræis scriptoribus familiare, ab huiusmodi particula, seu dictione, etiam si nihil præcesserit auspicari. Quæ, vel ornatus causa ponitur; vel vt permutet futurum in præteritum, & præteritum in futurū. Quod est peculiare munus litteræ Vau. Id videre est in Exodo, Leuitico, Numeris, Iosue, Iudicibus, Ruth, libris Regum, in 1. Machab. Qui omnes incipiunt à dictione (ET) licèt nonnumquam illam noster interpres subticeat.

PHRASIS Hebræa est: Fieri, vel, esse verbū Domini ad aliquem, pro eo, quod est, Deum illi aliquid reuelare, ac prophetico spiritu adimplère. *Non enim* (vt D. Petrus inquit) *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Verbum Domini, pro spiritu prophetico frequentissimum est in sacris litteris. Vnde 1. Reg. 3. 1. dicitur: *Et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.* Idest, rari inueniebantur Prophetæ, rarò Deus afflabat aliquos, spiritu prophetico; Prætiosa enim solemus appellare, quæ rarò inueniuntur. Chald. *Et verbum Domini erat absconditum in diebus illis*, IAKAR, significat, honoratum, prætiosum, rarum à verbo *Iakar*, quod est, in honore, & gloria, & prætio esse, vel rarum esse. Chaldaicè: *Factus est sermo prophetiæ à conspectu Domini cum Iona.* Hoc est: loquutus est Dñs sermonem propheticum cum

2. *Petri.* Cap. 21.

Verbum, seu sermo Domini quid.

1. *Reg.* 3. Cap. 1.

tum Iona. Quæ loquutio potuit esse, vel interius per diuinam reuelationem, & impulsum, vel exterius per loquutionē sensibilē. His enim duobus modis, inter alios solebat Dominus, Prophetas afflare, & cum eis loqui, vt constat ex sacris litteris.

IONAM eximium fuisse Prophetam, ex sacris litteris compertum est; prophetasseque sub principatu Ieroboam secundi; de quo etiam nonnulla prædixit, vt constat ex 4. Reg. 14. 25. vbi sic habetur: *Ipse*, (scilicet Ieroboam) *restituit terminos Israel ab introitu Emath vsq; ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Israel, quem loquutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetam.* Vnde colligitur liquido Ionam, præter hanc prophetiā, alia tempore Ieroboam vaticinia edidisse, de rebus ab eodem Ieroboam gerendis; quæ vaticinia forsan fuerunt à Iona litteris mādata, & iniuria temporum perierunt. Eius contemporanei fuerunt, teste Hieronymo, Esaias, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, & Michæas. 4. *Regum* 14. 25. *S. Athanas. q. 64. ad Antiochum. Rupertus in Ionam. Epiphan. lib. de vita, & interitu Prophetar.*

¶ Maximè recepta fuit à Christianis Doctoribus, ea Rabbinorum opinio, asserentium Ionam filium fuisse viduæ Sareptanæ; quem Elias Propheta ab ipsa, hospitio acceptus, à mortuis excitauit. Vt habetur 3. Reg. 17. Nititur autem hæc opinio coniectura accepta à nomine Amathi, seu Amithai, (vt est Hebraicè) quod significat veritatem: Aiuntque Hebræi, nomen esse appellatiuum, non proprium, quasi Ionas appelletur veritatis filius; eo quod Elias de eius resurrectione verum prædixerit: occasione arrepta à verbis, quæ vidua mater dixit Eliæ: Nunc in isto cognoui, quia vir Dei es tu, & verbum Dñi in ore tuo verum est,) siue veritas est EMETH, enim significat veritatem: vnde Amathi idem est quod veritas mea. Hæc tamē sententia nō videtur vero similis: Nam si fateamur Ionam filium fuisse viduæ Sareptanæ, cum *D. Dorot. in Synopsi Nicol. Lyra. sup. Ionam. Isidor. li. 7. Etymolo. Ioā. Nacle. in sua Chronol. ad annū mundi* 4377.

Luc. 4. ipſa Gentilis eſſet, vt conſtat ex Luc. 4. 26. Fateri etiam oportebit, ipſum fuiſſe Gentilem: quod Sacræ Scripturæ repugnat, cum ex ſuomet ore, hoc eodem capite habeamus, fuiſſe Hebræum. Patria etiam ipſius nō fuit Sareptа, ſed Geth, quæ eſt in Opher, vt dicitur 4. Reg. 14. 25. & pertinet ad Tribum Zabulon, de qua D. Hierony. ſic ait: Porro Geth in ſecūdo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur, Diæceſaræa euntibus Tyberiadim, haud grandis eſt viculus, vbi & ſepulchrum eius oſtenditur; quamquam alij iuxta Dioſpolim, ideſt, Lyddam eum, & natum & conditum velint; non intelligentes, hoc quod additur, Opher, ad diſtinctionem aliarum Geth vrbium pertinere, quæ iuxta Eleutheropolim, ſiue Dioſpolim hodie quoq; mōſtratur. ¶ Demum cum ab Achab Rege ſub quo vixit vidua Sareptana vſque ad Hieroboam cuius tempore floruit Ionas, anni pluſquam cētum interceſſerint, nō eſt credendum tot annos natum, vaticinari cæpiſſe. Quod autem dicunt Ionam fuiſſe ex matre Gentili, patre tamen Iudæo, nullo Sacræ Scripturæ teſtimonio, aut alicuius probatæ hiſtoriæ auctoritate fulcitur. Quamobrem affirmare tutius erit Amathi, ſiue Amithai eſſe nomen proprium patris Ionæ; quē etiam fuiſſe prophetam probabile admodum eſt; ſi ſequamur Rabbinorum regulam, à noſtris etiam vſurpatam, videlicet: Quotieſcumq; in libro alicuius Prophetæ, nomen patris eius exprimitur, certum eſt patrem, eſſe etiam Prophetam. Poteſt etiam id ex prædicto loco 4. Reg. 14. colligi, vbi ſic habetur in quodam antiquiſsimo manuſcripto: Iuxta ſermonem Domini Dei Iſrael quem loquutus eſt per ſeruum ſuum Ionam filium Amathi Prophetæ. Sic legit quoq; Hieronymus. Et poteſt ex Hebræo, & Græco verti, vt vertunt Pagninus, & Vatablus.

4. *Reg.* 14. 25.

In Proemio ſuper Ionam.

4. *Reg.* 14.

In Proemio ſuper Ionam.

¶ Surge

¶ Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem.)

Surgere quid in sacra scrip.

VERBVM, *surgendi*; in sacris litteris celeritatem & diligentiam in re aliqua agenda, significat. Vt 2. Reg. 15. 14. *Surgite, fugiamus*, ideſt; ſtatim ſine mora; Quod exponitur deinde, feſtinate egredi, ne forte veniens occupet nos. 1. Paralipomenon. 22. 19. *Conſurgite, & ædificate ſanctuarium Domino Deo.* Hoc eſt, ſtatim agite de ædificando ſanctuario, incunctanter opus aggredimini. Geneſ. 28. 2. Vbi in noſtra Vulgata habetur: *Vade, & proficiſcere in Meſopotamiã.* In textu Hebræo eſt: Surge, & proficiſcere q. d. cito fuge auola. Luc. 15. 17. *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Hoc eſt, ſtatim, diligenter ſedulò. Iudit. 20. 18. *Surgentes venerunt in domum Dei*; ideſt, confeſtim, ſine cunctatione. 2. Reg. 14. 30. *Surrexit Ioab, & venit ad Abſalon*, ideſt, ſtatim, vt accepit nuncium nulla mora adhibita. Et demum multa ſunt loca alia, quæ poſſem congerere. Atque ita hoc loco, dicens Dominus Ionæ; Surge, & vade in Niniuen, maximam ipſi ſedulitatẽ, & diligentiã iniungit; in peragenda legatione ad Niniuitas. In Hebr. eſt, *KVMLAC*, ſurge, vade abſque coniunctione (ET) quo maior emphaſis contineri videtur, ad exprimendam celeritatem, quã adhibere Ionas iubetur; Quaſi dicat: Maximum eſt in mora periculum, eià, perge, quam celerrime. Qua in re, elucet admodum Dei Opt. Max. cura, in procuranda hominum ſalute; ita vt omnem moram abrumpẽdam eſſe velit, quo peccatores à mortifero peccati læthargo excitẽtur. Id egregiè Theophylact. in hunc locum animaduertens, ait: Valde autem accelerantia ſunt verba; ſurge, & proficiſcere: Nolens enim mortem peccatoris, quin potius cupiens, vt conuertens ſe ſe ad bonum, viuat;

1. *Paral.* 22. 19.

Gene. 28

Lucæ. 15. 17.

udic. 20 18.

2. *Regum* 14. 30.

uat; Prophetam celeriter destinat ad promulgationem pœnitentiæ. Hinc etiam opponit ciuitatem magnam, vt magis ipsum inflectat, ac permoueat accelerare profectionem. Non enim est, inquit, exiguus locus, non vile oppidulum, sed ciuitas, non vna ex multis, cæterũ magna: quare non est quod ipsam asperneris.] Hæc Theophylactus.

NINIVE. Quæ à Græcis appellatur Nineui per, è, in medio, Hebraicè enim dicitur, NINIVE, vrbs est Assyriorum celeberrima, & primæ mundi Monarchiæ caput, ac Metropolis, iuxta Tigrim fluuium cõdita à Nino, (Cuius & nomẽ accepit;) primo Rege Assyriorum, qui vocatur Assur. Gen. 10. 11. Hic cum anno ab orbe condito, 1906. post diluuium circiter ducentesimo quinquagesimo regnare cæpisset; non contentus Regno Babylonico, egressus est de terra Sẽnaar, & perueniens in Assyriam, eam perdomuit; Ciuitatemq; Niniuẽ (quam exteri, & prophani auctores, Ninum, & Ninam vocant) condidit. Indeque (vt refert Iustinus) noua quadam imperandi cupiditate, præter veterem gentium morẽ, (cum se se omnes intra Regni sui fines continerẽt) primus omnium, bella intulit finitimis Regibus: quibus subiectis, accessione virium fortior effectus, ad alios transiuit: tantaquè victoriarum fœlicitate potitus fuit, vt breui totius Orientis, sibi imperium comparauerit. Cuius maiestatem, atque potẽtiam ex eo perspicere licet, quod Diodoro teste, lib. 3. c. 2. in exercitu, quem aduersus Bactrianos eduxit, habuisse dicitur, peditum decies & septies cẽtena millia, equitum ducenta millia, curruum falcatorum decem millia & sexcentos. Huius rei auctorem affert Diodorus Ctesiam perantiquum, atque præclarum historiarũ scriptorem. Quis verò fuerit pater Nini, & an ipse primus fuerit, vrbis Niniues condi-

Genes. 10 11.
Plin. lib. 6 1. 26.
Strabon. lib. 16.
Diodorus li. 3. c. 1.
Iustinus. lib. 1.

Circa maximã Niui potentiam, & ditionis maiestat. V. D. Aug. de Ciuit. lib. 18. Cap. 2.

conditor, implicata admodum quæstio,& controuersa est apud scriptores, tàm sacros, quàm prophanos. In qua discutienda, ne diutius quàm instituti nostri ratio postulat,immoremur, legendus est, præter alios, Pererius in Genes. cap. 10. disput. 3. & sequentibus.

FVIT sanè Niniue(vt nominis Ethymologia sonat, speciosa, atque ædificiorum pulchritudine, & magnitudine admiranda.Quæ quâ fuerit magna,& ampla, inferius cap. 3. explicabitur. De ea scribens Bẽjamin in suo Itinerario (vt refert Ioãnes Drusius) sic ait: Erat Niniue ad Hiddequel ripam ædificata,nunc excisa penitus est: Pagi tamen,& castella multa sunt intra antiqui ambitus spatium. Inter hanc vrbẽ, & eam,quæ nunc Almutsal,quondam Assur dicta,pons tantum intercest; estque Persiæ initium Mutsal,& habet Synagogas trium Prophetarum; Abdiæ, Ionæ, & Nahum. ¶ Hæc ille. Nomine, Hiddequel significans Tigrim fluvium; nam sic vocatur ab Hebræis; vt constat ex cap.2. Genes. num. 14. Ad hanc vrbem Ionas prædicator mittitur; vt ostendat Deus, quam chara sit illi omnium salus; vtque apud illum non sit personarum acceptio,sed in omni gente. D. Petro teste: Qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. *Non enim*, vt D. Paulus ait: *Iudæorum Deus tantum, sed etiam gentium.* Sap. 6. *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.*

Ioã. Drusius in Ionam.

Genes. 2. 14.

Actor. 10. 35.

Romã. 3. 29.

Sap. 6. 8.

¶ Et prædica in ea, quia ascendit malitia eorum coram me.)

HEbraicè, *VEKARAHALCHA*; ideſt: *Clama aduersus eã.* Chal. *Vaticinare in eam.* Quibus verbis

bis apertius exprimitur ira Dei; quæ iã in Niniuitas ob eorũ scelera exarserat. Vult enim Deus, suos Prophetas tãquam præcones, diducto ore clamare, atque etiam exclamare in populi sui flagitia: vt per Isai. præcepit: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Hoc genuinum est, prædicatorum verbi Dei munus, non blandiri peccantibus, non mulcere aures, non loqui placentia: sed clamare, increpare, arguere, opportune, importuné. Itaque, clama, inquit Dominus ad Ionam, contra Niniuen ciuitatem grãdem, quæ mole suorum flagitiorum iam ruit. Vt enim maxima est; ita maxima sunt scelera, quæ illi excidium afferunt.

Isai. cap. 58. 1.

Prædicatorũ munus.

¶ Quid Ionas prædicare, seu clamare iubeatur, nõ exprimit hoc loco sacra Historia: Verum ex cap. 3. vbi iterum eamdem legationem illi Deus iniunxit, colligitur apertissimè hanc fuisse prædicationis sententiam: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Quæ verba suo loco explicabimus.

¶ Multitudinem grauitatemque scelerum Niniuitarum, significat Deus illis verbis; *Quia ascendit malitia eius*, siue, vt est in Hebræo, *Malitia eorum coram me.* Hebraicè enim vox R A G H A H, genus omne denotat flagitij, quod contra diuinæ legis, & rationis præscriptum perpetrari solet. Quamquam etiam significat malum pœnæ, & afflictionis, quod à Deo hominibus infligitur. Quod autem Deus ascendisse malitiam ait: phrasis est Sacræ Scripturæ, eamque sententiam habet. Adeò scelera ab illis aucta esse, vt modum omnem, & diuinæ etiam dissimulationis rationem superauerint, ita vt non vltra expectandum patientissimo, & iustissimo Iudici fuerit: sed nisi pœnitentiam agerent, moresque deprauatos corrigerent, gueriss imum in eos iudicium

dicium exercendum. Sic enim ſcriptum eſt Pſal. 7. 12. *Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies? Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, &c.* Itaque aſcendere idem eſt, quod maximo exuperantiæ incremento auctum eſſe. Iſai. 34. 3. *Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum, aſcendit fœtor.* Illud vero (Coram me.) Hunc habet ſenſum: Creuit adeo malitia eorum, vt ad conſpectum meum vſquepe netrauerit, nec ſit vlterius diſsimulãda. Simile eſt illud Geneſ. 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* Et Geneſ. 18. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus eſt.* Clamoris nomine ſignificantur maxima peccata, vt Iſaiæ. 5. 7. *Et expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.* Quia videntur quodammodo flagitia clamare, & cogere Deum ad vindictam. D. Saluianus lib. 1. de prouidentia: Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccãtes punire cogatur. ¶ Sumpta metaphora ab hominibus, qui diſsimulant ſe, iniurias videre, aut audire contumelias; ne cogantur iraſci, & eas vlciſci: ſed cum multæ ſunt, & notæ omnibus, nõ poſſunt ſilentio præterire, aut diſsimulare, ſed acriter puniunt. Ad hunc modum D. Paul. Hebræor. 12. 24. dicit: *Sanguinem Chriſti melius loqui, quam Abel.* Quoniam ſicut ſanguis Abelis quodammodo Deum cogebat ad vindictam ſumendam de fratre Caino; ita ſanguis Chriſti in Cruce effuſus, vehemẽtius Deum prouocat ad miſerationem, quam ſanguis Abel ad vltionem. Eadem metaphora hic dicitur: Aſcendit malitia eius corã me; Ideſt: Adeò nota mihi ſunt eius peccata, vt amplius diſsimulare nõ debeam. Septuaginta legunt: Aſcendit clamor malitiæ eorum ad me.

Pſalm. 7. 12.

Aſcẽdere quid.

Iſai. 34. 3.

Geneſ. 4. 10.

Geneſ. 18. 20.

Clamor, quid.

Iſai. 5. 7.

Hebr. 12. 24.

¶ Et

bis apertius exprimitur ira Dei; quæ iã in Niniuitas ob eorũ scelera exarserat. Vult enim Deus, suos Prophetas tãquam præcones, diducto ore clamare, atque etiam exclamare in populi sui flagitia: vt per Isai. præcepit: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Hoc genuinum est, prædicatorum verbi Dei munus, non blandiri peccantibus, non mulcere aures, non loqui placentia: sed clamare, increpare, arguere, opportune, importuné. Itaque, clama, inquit Dominus ad Ionam, contra Niniuen ciuitatem grãdem, quæ mole suorum flagitiorum iam ruit. Vt enim maxima est; ita maxima sunt scelera, quæ illi excidium afferunt.

Isai. cap. 58. 1.

Prædicatorũ munus.

¶ Quid Ionas prædicare, seu clamare iubeatur, nõ exprimit hoc loco sacra Historia: Verum ex cap. 3. vbi iterum eamdem legationem illi Deus iniunxit, colligitur apertissimè hanc fuisse prædicationis sententiam: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Quæ verba suo loco explicabimus.

¶ Multitudinem grauitatemque scelerum Niniuitarum, significat Deus illis verbis; *Quia ascendit malitia eius*, siue, vt est in Hebræo, *Malitia eorum coram me.* Hebraicè enim vox RAGHAH, genus omne denotat flagitij, quod contra diuinæ legis, & rationis præscriptum perpetrari solet. Quamquam etiam significat malum pœnæ, & afflictionis, quod à Deo hominibus infligitur. Quod autem Deus ascendisse malitiam ait: phrasis est Sacræ Scripturæ, eamque sententiam habet. Adeò scelera ab illis aucta esse, vt modum omnem, & diuinæ etiam dissimulationis rationem superauerint, ita vt non vltra expectandum patientissimo, & iustissimo Iudici fuerit: sed nisi pœnitentiam agerent, moresque deprauatos corrigerent, gueriſsimum in eos iudicium

dicium exercendum. Sic enim ſcriptum eſt Pſal. 7. 12. *Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies? Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, &c.* Itaque aſcendere idem eſt, quod maximo exuperantiæ incremento auctum eſſe. Iſai. 34. 3. *Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum, aſcendit fœtor.* Illud vero (Coram me.) Hunc habet ſenſum: Creuit adeo malitia eorum, vt ad conſpectum meum vſquepe netrauerit, nec ſit vlterius diſsimulãda. Simile eſt illud Geneſ. 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* Et Geneſ. 18. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus eſt.* Clamoris nomine ſignificantur maxima peccata, vt Iſaiæ. 5. 7. *Et expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.* Quia videntur quodammodo flagitia clamare, & cogere Deum ad vindictam. D. Saluianus lib. 1. de prouidentia: Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccãtes punire cogatur. ¶ Sumpta metaphora ab hominibus, qui diſsimulant ſe, iniurias videre, aut audire contumelias; ne cogantur iraſci, & eas vlciſci: ſed cum multæ ſunt, & notæ omnibus, nõ poſſunt ſilentio præterire, aut diſsimulare, ſed acriter puniunt. Ad hunc modum D. Paul. Hebræor. 12. 24. dicit: *Sanguinem Chriſti melius loqui, quam Abel.* Quoniam ſicut ſanguis Abelis quodammodo Deum cogebat ad vindictam ſumendam de fratre Caino; ita ſanguis Chriſti in Cruce effuſus, vehemẽtius Deum prouocat ad miſerationem, quam ſanguis Abel ad vltionem. Eadem metaphora hic dicitur: Aſcendit malitia eius corã me; Ideſt: Adeò nota mihi ſunt eius peccata, vt amplius diſsimulare nõ debeam. Septuaginta legunt: Aſcendit clamor malitię eorum ad me.

Pſalm. 7. 12.

Aſcẽdere quid.

Iſai. 34. 3.

Geneſ. 4. 10.

Geneſ. 18. 20.

Clamor, quid.

Iſai. 5. 7.

Hebr. 12. 24.

¶ Et

¶ Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini.

QVAM, debuisset Ionas adhibere diligẽtiam, & celeritatem, in diuino præcepto seruando, præstitit in fugiendo à Dei obsequio. Hoc enim significat: (*Vt fugeret à facie Domini.*) Nõ sané existimauit Ionas, cum esset Dei Propheta; cœlestiq; illustratus lumine, posse quemquam Dei consp ectum vitare; aut aliquo concedere vbi Deus nõ adsit; sciebat enim scriptum esse Ierem. 23. 24. *Cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus.* Et illud Psal. 138. 7. Sæpissimè in Templo decantatum: *Quo ibo à spiritu tuo? aut quo à facie tua fugiam? si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades, &c.* Sed quemadmodum, vsitato more loquendi, in Sacra Scriptura, dicitur aliquis esse in conspectu Domini, vel stare coram Domino, cum tamquam Dei famulus, iuncto sibi fungitur munere; sèque in suscipiendis, & exequendis, diuinæ voluntatis negotijs, promptum, & fidelem ministrum exhibet. Vt Elisæus 4. Reg. 5. 16. *Viuit Dominus*, inquit, *ante quem sto, quod non accipiam, &c.* Hoc est, cui seruio, cuius exequor mandatum. Daniel. 1. 5. *Postea starent in cõspectu Regis*, ideſt, ministrarẽt. 3. Reg. 10. 8. *Beati sunt serui tui ij, qui coram te stant.* Hoc est, seruiunt tibi. Et Genes. 17. 1. ait Dominus ad Abraham: *Ambula coram me: & esto perfectus.* Ideſt; Mihi ministra, iussis meis obsequere. Ità etiam ẽ cõuerso fugere, vel egredi, à facie Dñi, est, eius volũtati, siue præcepto non obtemperare. Vnde hic locus Ionæ, exploratus redditur. In quo discutiendo, tantopere laborant sacri interp. Chald. Paraphr. sic etiã interpretatur: *Vt fugeret ad mare, potius, quam prophetaret in nomine Dñi.*

Iere. 23. 24.
Psal. 138 7.
4. *Regum* 5. 16.
Stare coram, seu in conspectu, est ministrare. 3. *Regum* 10. 8.
Genes. 17
Fugere à facie Dñi quid.

POSSV-

POSSVMVS etiam ita exponere: A facie Dñi, ideſt, à colloquio, vel conſortio Dñi, vt Iob. 1. 12. *Egreſſus eſt Sathan à facie Dñi*, hoc eſt; Ceſſauit loqui, vel cõuerſari cum Domino. Et cap. 2. 7. *Egreſſus Sathan à facie Domini*. Geneſ. 4. 16. *Egreſſuſq; Cain à facie Dñi habitauit profugus in terra*. Quamquam Rabbi Ioſeph ita interpretatur. A facie Domini, ideſt à præcepto Domini. Huic expoſitioni videtur alludere D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 8. ſuper illa verba, Egreſſuſque eſt Sathan à facie Domini: A facie, inquit Gregor. Domini exijt, quia diu vinculis diſciplinæ quandoque religata voluntas noxia, ad opus proceſsit. Cum enim ſicut dictum eſt, id quod voluit implere non valuit, quaſi ante faciẽ Domini ſtetit, quia illum ab effectu malitiæ ſuperna diſpenſatione coarctauit, ſed à facie Domini exijt, quia poteſtatem tentationis accipiens, ad malitiæ ſuæ vota peruenit. Vide etiam D. Thom. in cap. 1. Iob. lect. 3. *Iob.* 1. 12 *Iob.* 2. 7. *Geneſ.* 4. 16.

NON deſunt ex Hebræis nonnulli, quos ſequitur Vatablus, qui per faciẽ Domini exponant terram ſanctam, Iudæam ipſam; præſertim ciuitatem Ieruſalem, in qua notus erat Dominus, ſuaque conſilia ſanctis Prophetis manifeſtabat, ac veluti faciem ſuam oſtendebat: ita vt Ionas fugiens à Iudæa, in alienigenarum Regionẽ, quaſi à diuino conſpectu diſcedere videretur, occaſionemque vitare colloquendi cum Domino, de hac Niniuitica legatione, quæ ſibi valdè diſplicebat. Hoc videtur etiam innuere Theodoretus, cum ait: Hoc autem fecit ſciens, nempè Propheta, & quod vbique Deus ſit, & quod nullus locus eius prouidentia vacuus ſuit, ſed tamen arbitrans in ſola Ieruſalem ſe ſe oſtendere.)

¶ Per faciem Dñi ſignificari ſanctum Tabernaculũ, quod vna cum altaribus, & reliquis ad diuinum cultum pertinentibus collocatũ erat in Templo Salomonis) frequens

quens est in sacris litteris Exod. 23. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo*; id est, veniet in Ierusalem ad Templum sanctum me adorandi gratia. In Hebr. *Ante faciem Domini Dei tui.* Et Exod. 18. cap. 12. *Veneruntque Aaron, & omnes seniores Israel, & comederunt panem cum eo coram Deo.* Hebr. *Ante faciem Dei*, hoc est, ante Tabernaculum, quod erat Israelitis pro Dei vultu; in quo, ipsi Deo, cultus debitus exhibebatur; atque ipse, Moysi, & populo responsa, & beneficia reddebat. Quare Ionas à Ierosolimitano Templo, immò à tota ipsa Iudæa discedens, à facie Domini fugere, non impropriè dicitur. 4. Regum. 17. cap. 18. *Iratus est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & nō remansit nisi Tribus Iuda tantummodò.* Vbi per faciem Domini Iudeæ Regio, ac potissimum ciuitas Ierusalem intelligitur; in qua Templum Domini erat. Hunc sensum indicat Chald. sic transferens: *Et fuit indignatio à Domino valdè in Israel, & migrare fecit eos de terra domus maiestatis suæ.*

Exod. 23 Cap. 17. Exod. 18 Cap. 12. 4. Regum 17. 18.

❧❧❧

Iona. 4. 2.

CAusæ huius fugæ, curiosè perquiruntur à sacris expositoribus, ac prior est, quæ ab ipsomet Iona c. 4. 2. apertè assignatur, videlicèt: Quia cū nosset Dei Opt. Max. erga homines pietatem, ac miserationem, qui peccantium pœnitentia statim flectitur, ac sententiam revocat; timebat ne si Niniuitæ per pœnitentiam, veniam à pientissimo Deo impetrarent, ipse tamquam mendacij reus haberetur; sic enim ait: Obsecro Domine, numquid hoc non est verbum meum, propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis; sciò enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscēs super malitia. Altera etiā causa affertur à Doctoribus

&oribus prænouisse, scilicet, Ionam prophetico spiritu, tunc periturum esse populum Israeliticum, cum nationes exteræ credidissent; & propterea vitasse huiusmodi legationē ad Niniuitas, nē domus Israel reijceretur. *Quæ* omnia elegātissimè à D. Gregorio Nazian. in Apolog. pertractantur, cuius hæc sunt verba: Et ideo ille quidē fugiebat nè vel tristis nūtij Niniuitis ministeri existeret, vel postmodum mēdax inueniretur, si per pœnitentiam ciuitas saluaretur: neque enim saluti eorum inuidebat, sed mendacij ministerium declinabat, dignitatem propheticam in omnibus efferens, quàm vtique in se velut deformari videbat, si infamaretur macula falsitatis, dùm vulgus ignarum, & imperitum intelligere, ac percipere nō posset profundam futuræ dispensationis scientiam.) Et paulò post. Non ergo ignorabat Ionas adesse, & in mari, & vbiq; præstò esse validissimā Dei manum, quam alijs etiam prædicaturus mittebatur, neque effugere se vsquam diuinitatis potētiam præsumebat: non hoc credendum est; sed quoniā præuidebat hoc suo ministerio, à spiritu præfigurari, quod spreto, & abiecto populo suo Israel, donum propheticæ gratiæ transferretur ad gentes; propterea subterfugit prædicationis officium, nè patriæ abijciendæ, triste præberet obsequium.) Eodem quoquè modo D. Hierony. Scit Propheta (inquit) Sancto sibi spiritu suggerente, quod pœnitentia gentium sit ruina Iudæorum: idcircò amator patriæ suæ, non tàm saluti inuidet Niniues, quā non vult peritè populū suum.) Et paulò inferius: Præterea vidēs Ionas comprophetas suos mitti ad oues perditas domus Israel, vt ad pœnitentiam prouocarent; Balaam quoq; diuinū de salute Israelitici populi prophetasse; dolet se solum electum, qui mitteretur ad Assyrios, inimicos Israel, & ad ciuitatē hostium maximā; vbi idolatria, vbi ignoratio Dei; & quod *In Ion. c.*

his

his maius est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ, illis conuersis ad pœnitentiam, Israël penitus relinqueretur. Non erat enim eodem spiritu, quo illi præconium gẽtium credebatur, quod quando nationes credidissent, tunc periret domus Israël, & quod aliquando futurum erat, hoc ne in suo fieret tempore, verebatur.) Hæc Hierony. Easdem causas assignat Theophylact. in Ionam cap. 1. D. Gregor. in Iob. lib. 6. cap. 12.

¶ De Tharsis, quo Ionas fugere conabatur, variè admodum sunt, & discrepantes sententiæ. Aliqui enim, in quibus est Ioseph. 9. antiq. cap. 11. ac Genebrard. in in Chron. & in Psal. 47. aiunt, esse Tharsum nobilissimã Ciliciæ vrbem, ad radicem Tauri montis sitam, ex qua
1. *Antiq. cap.* 7. D. Paulus oriũdus fuit, & ob id vocatus Tharsensis; imò eodem Iosepho teste, tota Ciliciæ Regio, Tharsus, ex
In cap. 1. *Ionæ.* vrbe omnium celeberrima, & Metropoli denominabatur. Alij vt refert Theodo. existimant esse Indiæ regionem, in quam Rex Salomon classem suam mittere solebat, vt inde longa annorum trium nauigatione, aurum, argentum, ebur, simias, & pauos asportaret, vt habetur
3. *Regum* 10. 22. *Paralipo.* 9. 21. 3. Reg. 10. 22. & 2. Paralipom. 9. 21. Hanc sententiam tenet D. Athanas. q. 65. ad Antiochum, illam tamen refutat Theodoret. vel ea solum ratione, quod cum Assyria esset Indiæ vicina, non est probabile Ionam fugiturum in eam Prouinciam, quæ erat Niniue finitima; mos enim est ijs, qui fugam arripiunt in remotas, atquè oppositas partes proficisci.

¶ D. verò Hierony. super cap. 2. Isaiæ aliam rationem assignat ad probandum, per Tharsis hoc loco non posse intelligi locum aliquem, aut Indiæ Regionẽ; quia à portu Ioppe in mari Mediterraneo sito, impossibile erat nauigare in Indiam; nisi emenso freto Gaditano, & per Oceanum, circumnauigata tota Africa, Arabia, &

Persia;

Persia. Quę nauigatio fuisset ineptissima; illa præsertim ętate, qua nulla erat huiusmodi cognitio, seu experiēti a.

¶ Sunt, qui per Tharsim intelligant Carthaginem, insignem Africæ vrbem. Hanc sententiam mihi, magis arridentem, amplectitur Vatablus, Arias Montā. alijq; recentiores: immò, & Theophy. & Theod. vrbem esse Africæ, quam Græci *Charchedona* vocant, Latini autem *Carthaginem*. Hoc probāt testimonio Isai. cap. 23. 1. *Vlulate naues Tharsis.* LXX. *Naues Charchedonis*, hoc est, Carthaginis. Et Ezechiel. 27. 12. *Carthaginenses negotiatores tui.* LXX. *Charchedonij.* Hebr. *Tharsis.* Confirmatur etiam, ex eo quod, cum Phœnicibus maritima Palæstinæ loca incolentibus, in primis nauigandi, atq; etiam mercaturam faciendi, peritia, & studium maximū fuerit; eam Africę partem, vbi Carthago olim constructa fuit, insigni portu, & emporio celeberrimā, nauibus suis frequentasse commemorantur; maximumq; habuisse cum Carthaginēsibus cōmercium, propter veterem cognationē, & cōmunem viuendi modum. Quin etiam, asserit Montanus, & probare nititur contra Iosephum, & alios; Africā à Tharsis nepote Iapheth, Tharsicum nomen accepisse. Hierony. ab Oleastro in c. 10. Genes. duplicem Tharsum constituit, cuius hæc sunt verba: Est & aduertēdum de duplici Tharsis fieri in sacris litteris mentionem, scilicet, de ea, quæ aut est Cilicia, in qua est Tharsus ciuitas, & hæc nō est insula, sed terra mari adiacens, ad quam confugit Ionas à facie Domini; Alia est apud Iudos, ad quam semel in tribus annis mittebat Salomō ad deuehendū inde aurū: cuius meminit Scriptura 2. Parali. 9. & 1. Reg. 10. Quod autē hæc Tharsis, nō fuerit illa, ad quam Ionas confugit, constat ex 20. c. 21. Paralip. vbi dicitur Iosaphat fabricasse naues in Hasion Gaber, ad oram maris Rubri, ad

Isai. 23. 1 Ezechie. 27. 12.

Montan. in appar. 2. Paralt. 9. 1. Reg 10 2. Paralt. 20.

quod nullo modo poterat Ionas nauigare à Ioppē, quæ eſt portus maris Mediterranei, propter inter iacentē terram. Vnde conſtat Tharſis, ad quā Ionas fugit, nō fuiſſe inſulam, ſed portū maris Mediterranei: Tharſis vero, ad quam miſit Ioſaphat, eſſe apud Indos, ad quos per mare Rubrum, nauigatur. Vbi etiam ſunt diuitiæ, gemmæ, & multa alia prętioſiſsima, quæ nūc inde ad nos deuehuntur. Quod vero Heſion Gaber, ſit ad oram maris Rubri, conſtat ex 1. Reg. quem nos tertium vocamus.

Hiero. in Ionam.

¶ D. vero Hierony. cenſet, Tharſis, non eſſe nomen proprium alicuius oppidi, aut prouinciæ, ſed cōmune; ſignificans mare Mediterraneum, vel aliud quodcumq; profundum, & nauibus magnis, peruium: Hebræi enim (inquit,) Tharſis, mare dici generaliter autumant, ſecundū illud: in ſpiritu vehementi conterens naues Tharſis, ideſt maris. Et in Iſaia. Vlulate naues Tharſis, ſuper quo ante annos plurimos in epiſt. quadam ad Marcellā dixiſſe me memini. Non igitur Propheta ad certum fugere cupiebat locū, ſed mare ingrediēs, quocumq; pergere feſtinabat, & magis hoc conuenit fugitiuo, & timido, non locum fugæ otioſe eligere, ſed primam occaſionem arripere nauigandi. Huc vſq; Hieron. D. etiam Auguſt. D. Thom. & Rupert. cum D. Hieron. ſentiunt, per Tharſis, mare vniuerſaliter intelligi; eo quod, Carthaginenſes adeò fuerunt nauigandi ſtudioſi, & gnari, adeoq; multarum nauium magnitudine floruerunt, vt ab ipſa Carthagine, Tharſis appellata, ad mare quodcumq; & præcipuè Mediterraneum ſignificandum, nomē Tharſis deductum fuerit: Propterea q; (vt Hebræi aiunt) lapis prætioſus, de quo in ſacris litteris frequens eſt mentio, appellatur Tharſis; eo quod maris colorem cum pacatū eſt, referat; pro quo alij vertunt Hyacinthū, alij Chryſolitū, alij Turcicū, alij Carbunculum. Vide Theſau. ling. Sanct.

Pſal. 47. 8. Iſai. 23. 1. & 14. Vulgata: Naues maris.

D. Augu. & D. Th. in Pſalm. 47. Rupertus hic. Exod. 23 20. & 39 13. Ezech. 1. 16. & 19 Cant. 15.

Sanct. verbo *Rasas*, & Riberam in hunc locum, qui eamdem cum Hieronym. sententiam amplectens, hæc omnia fusissimè pertractat. Videndi etiam sunt Maluenda lib. 5. de Antichristo cap. 14. & Pineda lib. 4. de rebus gestis Salomonis. cap. 5. & seqq.

¶ Sed ego sanè, quod pace tantorũ virorum dixerim, mihi persuadere nõ possum, Ionam virũ alioqui prudentem, & perspicacẽ, in hac fuga, quam tam consulto arripuit, nullum sibi locum, aut oppidum certũ, præstituisse. Hi enim, qui ex aliqua vrbe, aut regione fugiunt, certũ sibi locum destinare solẽt, in quo se tutos futuros existimant. Quod ex ipso etiam textu colligitur; nam cogitãs Ionas fugere in Tharsis, opportunè nauim in portu Ioppæo, illuc protinus profecturam, inuenit. Quam, tamquã voti compos effectus, naulo libẽter persoluto, conscendit. Dicere autem Ionam inuenisse nauem, quæ erat itura in mare, incongruum videtur, cum nulla sit nauis, quæ per aridam nauiget. Nec valde vrget, quod Ionam nautæ interrogauerũt: *Quo vadis?* Quod non fecissent, si Tharsis certam aliquam vrbem, aut prouinciam significaret. Hoc, inquam, non multum habet ponderis; nam etiamsi nauis in Tharsis primo esset appulsura; poterat Ionas vlterius cogitare; vt si aliqua nauis, soluẽs ex portu aliquo Hispaniæ in Genuam, vel Lyburnum, aliumve Italiæ portũ, possunt, vt solent, qui eam conscenderunt vt in Italiã transvehantur, petere Romam, aut Neapolim, aut Mediolanum: Ita hoc loco à Iona scisciari potuerunt nautæ, quo vadis? ignorantes an vlterius esset progressurus. Quod autem Ionas non solum patriam, sed etiam propheticum munus relinquere, ac mercaturam exercere decreuerit, nescio qua auctoritate, aut probabili coniectura, nonnulli audeant asserere.

¶ Et descendit in Ioppen, & inuenit nauem.)

CONIECTVRAM cæpi ex his verbis, ad hoc vt affirmare audeam in Paraphrasi metrica, Ionam, Ierosolymis degere tunc temporis, cum à Dño iussus est in Niniuen proficisci. Est enim Ioppe sita in loco inferiori, & campestri, respectu Ierusalem, aliarumq; Iudææ vrbiũ, quæ in locis arduis, & montanis cõsistunt; vnde in Ioppen ituris descendendũ est. Et idcirco cũ Ionas descẽderet in Ioppen, arbitrari possumus Ierosolyma profectum esse, quam inferius vocat patriã suam. Erat enim cõmune omnium Iudæorum domicilium, ac præsertim Prophetarũ patria. Quo religionis, & voti causa omnes statis tẽporibus, ex legis præscripto, confluebant.

Situ Ioppe.

In Theat. terræ Sãctæ.

Ioſue. 9.
2. Paral. 2.
1. Esdræ. 3.
Num. 21
3. Reg. 5.
Ion. 1. & ibi Hier.
1. Macha baor. 10.
12. Machab. 12.
Actor. 9. 10.

¶ Ioppe (ait Christianus Adricom.) quæ & Iapho, & Iapha dicitur, idest, pulchritudo, aut decor, vrbs est antiquissima, à Iaphet filio Noe ante diluviũ condita, sita ad mare in edito promontorio, littore saxoso, alto, & arduo, arce ac mœnibus munita valdè. Est portus Ierosolymę & Iudææ totius, ad quẽ ligna, & lapides pro tẽpli structura de Libano ratibus trãsferebãtur, atq; hinc terreno itinere, curribus peruehebãtur Ierosolymã. Portus autẽ impetuosissimus est: ob id ad incursus pyraticos cõmodus, in quẽ vsum, Machabęorũ tẽpore sæpe est occupatus. Hic Ionas nauim intrauit, cũ fugeret à facie Dñi in Tharsis, hoc est Ciliciã. Hanc Macbabæi, sæpe occuparunt, ac munierunt. In hac D. Petrus Thabitam à morte suscitauit. Hic hospitatus apud Simonẽ Coriariũ (cuius domus erat sub rupe posita iuxta mare, quo loco postea sacellũ D. Petro constructũ est) recepit viros de Cæsarea à Cornel. Cẽturione ad Angeli monitũ eo trãsmissos. In huius littore monstrantur saxa, ad quę catenis religata fuisse dicitur Andromeda, deuorãda a bellua marina

rina, nisi Perseus illam liberasset. Hæc breui tempore à Romanis bis capta, interfectis multis ciuium millibus, incensa, & funditus excisa, fuerat ex Toparchijs vna, & finitimis vrbibus præerat. Cinxit eã anno 1250. Ludouicus Francorũ Rex turribus, & muris. Tẽpore Hieronymi appellabatur Iapho, nunc Iapha, in eamq; primum peregrini applicãt. Ioppen 200. Iudæi à Ioppitis submersi sunt. 2. Machab. 12.] Huc vsque Adricom. De huius etiam vrbis antiquitate meminit Solin. c. 37. sic asserens: Ioppe oppidum antiquissimum orbe toto, vt pote ante inundationem terrarum conditum: Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam belluæ nõ irritus rumor circũtulit, quippe ossa mõstri illius M. Scaurus inter alia miracula in ædilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est; mẽsuræ quoque veracibus libris continentur, scilicet, quod costarũ longitudo, excesserit pedes quadraginta, excelsitas Elephantis fuerit indicis, eminentior: porro verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedẽ sunt supergressi.] Hæc Solinus. Similia sunt, quæ scribit Pomponius Mela, lib. 1. de situ orbis. cap. 11. & Plin. lib. 5. cap. 13.

Hiero. in Ion. & de locis Heb. Ioseph. 2. bell. 21. & 3. bell. 15.

De antiq. oppidi Ioppe.

¶ Et dedit naulum eius.]

HEbraicè, VAIITHEN SECARAH. *Et dedit mercedem eius*, scilicet, nauis. Dedit prætium pro vectura solui solitum. LXX. *Dedit naulum suum.* Nostra tamen Editio, magis reddidit sensum Hebraici idiomatis. Quanto fugiendi ardore tenerctur Ionas, apparet ex maxima in persoluẽdo prætio vecturæ celeritate, atq; promptitudine: Dedit autem (inquit Theophylact.) Et nauigationis mercedem, vt ne, vel hinc si non daret, esset quod remoraretur

Theophy. in hunc locum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

retur eum, quo minus fugeret. Omnia namque facilia ipsi videbantur, patriæ priuatio, maris pericula, mercedisque abiectio, modo ab graui illa, & molesta prophetandi functione eripi queat.

¶ Et descendit in eam.)

HEbraicè, VAIARAD BAH. *Iarad* enim; proprie significat descendere. Estque in Sacra Scriptura vsitatum, vt cum quis nauigādi gratia nauim, seu mare ingreditur, descendere dicatur. Eo qnod mare, respectu ipsius terræ, humilius, atque inferius esse videatur. Psal. 106. 23. *Qui descendunt mare in nauibus, &c.* Isaiæ. 42. 10. *Qui descenditis in mare, & plenitudo eius, &c.* LXX. vero legunt: *Ascendit in eam vt nauigaret.* Qua ratione etiam Latinę linguæ classici auctores; loquūtur. Teren. in Adelph. nauem ascendit. Tit. Liuius lib. 120. ab Caieta nauim conscensurus proficiscitur. Cic. 1. de diuin. Et vos, naues subito perterrefacti metu, conscendistis.

Psal. 106 23.

Isai. cap. 42. 10.

¶ Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.

HEbraicè, HETIL RVHAHH. *Eleuari fecit ventum, &c.* Qua in re elucet maximè mira Dei Opt. Max. non solum benignitas, atque clementia, sed etiam potestas, atque sapientia. Quippe qui cum Ionam merito ob inobediētiæ peccatum, posset omnino perdere, fluctibusque obrutum, in Orcum æternis ignibus cruciandum, detrudere: illum

tamen

tamẽ, tamquam pijſsimus Pater, leuiter caſtigat, & ab interitu liberat, vt ſcelus ſuum tandẽ agnoſcat, defleat, diuinamque imploret miſerationem. Non enim quærit Dominus mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Neque etiam valet quidquam humana ſapientia, aut conſilium contra Dominum: ſed omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſsis. Quamquã etenim nauis tranquillo mari, ſereno cœlo, ſecundo vento, fauente ſydere, ex portu ſoluerat; exoritur ſubito, Deo annuente, tam ſæua tempeſtas, vt certiſsimo naufragio omnes, qui ipſa vehebantur ſe perituros eſſe exiſtimarẽt. Sic enim habet Hebraica lectio, VEHA ONIIAHHIS BAHLEHISABER. *Et nauis putabatur conteri, ſiue eſſe conterendam.* Ex tam repentina namque, ac immani procella, in eam mentem venerunt, vt non caſu, & fortuito, ſed peculiari deorum cõſilio, excitatam arbitrarentur: magnoque timore correpti, ad preces, & vota confugerent. Propterea, inquit.

¶ Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum ſuum.)

THEODORETVS, & Theophylactus in hunc locum, ſignum quoddam indicant, ex quo nautæ in eam opinionem deducti ſunt, vt tempeſtatem hanc, Deo aſcriberent; ſic enim ait Theodoret: Cumque aliæ naues, ſecundo vento, curſum tenerẽt, in hanc vnam, tempeſtas maris incumbebat, & fluctuũ impetus efferueſcebat: hoc planè ſors nautarum nos docet: neque enim ſi communis fuiſſet tẽpeſtas, eius cauſam ſorte diſquirere aggreſsi fuiſſent: ſed cũ alios ſine periculo mare ſecantes viderent, ſuam

vero, decumanis fluctibus exagitari; primũ quidem se ad preces conuerterunt, ac pro se quisque, quem existimabat Deum, rogabat. ¶ Eadem fere Theophylact. ex Rabbinorum antiqua traditione.

¶ Verum enim verò, ex ingenti nautarum metu, vehementissimam, atque insolitam fuisse tempestatem, facile colligitur. Ex eo autẽ quod vnusquisque ad Deũ suum clamauerit, apparet in eam nauim, variarum nationum, atque rituum homines confluxisse; videlicet, Phœnices, Palestinos, Samaritanos, Amalechitas, & similes diuersorum deorum cultui addictos. Quamobrẽ Tyrios Herculem suum, Palestinos Dagonẽ deum marinum; Pœnos Solem, aut Lunam, aut Neptunum; ac demum singulos nautarum, deos, quos priuata religione colebant, inuocasse credendum est. Vbi autem in Vulgata legimus; *Et clamauerunt viri ad deum suũ.* Hebraica editio sic habet: *Et clamauerunt vir ad deum suũ.* Hæc vox I S, *vir*, sæpe numero Hebraice, pro nomine distributiuo, singuli, aut vnusquisque, vsurpatur. Vt Ioel. 2. 7. *Viri in vys suis gradientur*, vbi in textu Hebraico est dictio I S, *vir*. Quasi dicat. *Vnusquisque.* Vt LXX. transtulerunt. Et paulò inferius eodem capite, vbi noster interpres vertit; *Vnusquisque fratrem suum nõ coarctabit.* In Hebræo est; *Et vir fratrem suum non opprimet.* Cum autem nomen distributivum, multos complectatur, optime plurale verbum sibi adsciscit. Vt Pars io frustra secant. Et id genus multa, apud Latinæ linguæ auctores.

¶ Et miserunt vasa quæ erat in naui in mare.)

ETSI nautæ vehementer suspicabãtur, illatam ipsis esse à Deo tempestatem hanc; nihilominus tamẽ, ad humana remedia confugerunt; nauim exonerantes, ac mer-

ac mercēs, arma, & reliqua omnia, quæ magno oneri esse poterāt, in mare proijcientes. *Vasa.* HACHELIM. hoc loco, more Hebraico, significat omne genus vtensilium, instrumēti bellici, armorum, & nauticæ suppellectilis. Proijciunt (ait Hieronymus) onera in mare, vt magnitudinem fluctuum, classis leuior transiliret. Mos enim est nautarum pervetus, cum sæua maris procella, aut tempestas increbrescit, rerum, quæ naui asportātur iacturam facere; vt hoc pacto nauis, pondere alleuata, ventorum vim diutius, & cōmodius ferre, & vehementes fluctuum ictus, facilius superare valeat. Onere namque nimio oppressam, citius ac validius furētium ventorum, & maris impetus cōfringere, & submergere solet. Quamobrem legimus. Actor. 27. *Validè autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt, & tertia die suis manibus armamēta nauis proiecerunt.* Benedictus Arias Montanus asserit, nautas in hac iactura facienda non nihil religionis obseruasse, vt deorum misericordiam facilius impetrarēt; existimantes proiectis in mare mercibus, atque diuitijs, deos suos, tamquam huiusmodi donis affectos, demulceri, atque conciliari posse. Vnde mos, (inquit) ad nostram vsque ætatem permanauit, vt turbulenta tempestate, non solum oneribus, & grauissimis quibusque mercibus iactis, nauis alleuetur: sed iniecto etiam auro, aut annulis, aut gemmis, aut alijs exigui ponderis magni tamē prætij rebus, procella sedāda procuretur.] Hoc ex Hebraico textu colligi affirmat, in quo sic habetur: *Ad alleuiandam desuper ipsis*, non enim tantummodo nauim mercium, & armamentorum onere, sed etiam se ipsos, peccatorum pondere grauatos esse, agnoscentes; rerum prætiosarum abiectione, à dijs optatum leuamen, & securam tranquillitatem obtinere nitebantur. Christianis

Hiero. in in hunc locum.

Actorum. 27. 18.

Montan. in hunc locum.

verò hominibus, vera Dei cognitione, atq; religione imbutis, frequentissimum est, si quandoque nauigantes, tempestatibus iactantur, præter diuorum inuocationem, animorum expiationem, votorum nũcupationem, Sanctorum corporũ reliquias, & massulas, ex candida cera iussu Summi Pontificis conflatas, ab eoque solenni ritu benedictas, quas vulgò, Agnus Dei, vocitamus, in mare iacere. Quarum vim, ac sanctitatem persentiens; sœpissime paçatum redditur. Anima duertit egregie D. Chrysosto. proiectionem mercium, & omnium armamentorũ, nihil profuisse ad nauis leuamen, cum in ea vnus esset Ionas, qui peccati sui põdere nauem, ad naufragium vsque aggrauabat; & maris tempestatem commouebat. Sed audiamus Chrysostomum: Sed nautæ nondum agnita causa naufragij, nauim rerum iactatione alleuari arbitrabantur, & nihilominus nauigium turbabatur, apud se enim periculi sarcinam retinebant, & magis, magisquè Prophetæ corpore grauabantur, non corporis magnitudine, sed peccati. Nihil enim graue, æquè & onerosum inuenies, quam peccatum.] Hæc ille.

Chrysost. Homil. de S. Iona Propheta tom. 1.

¶ Et Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.)

HEbraicè: *Et Ionas descendit ad latera nauis.* Id est, ad vnum ex lateribus nauis, vt exponunt Pagninus, & Vatablus. Vt etiam Chald. *Ionas autem descenderat ad infimum nauis latus, qui decumbens dormiebat.* LXX. *In ventrem nauis.* Quasi dicat: In infimam nauis partem, prope sentinam ipsam, timore perculsus quæsiuit, & penetrauit. Qua in re exprimi-

primitur, ac ſuis quaſi coloribus depingitur, miſerrima peccatoris conditio. Proprium enim eſt, iniquorum, a Deo per peccata diſcedentium, tam vehementi ſceleris conſcientia, ac diuini vltionis timore, torqueri, eoque cæcitatis, atque amentiæ progredi, vt perinde, ac ſi diuini Numinis irã poſsint effugere, latebras, quibus ſe tueantur quæritent. *Peccantiũ timor.*

Quod quidem in primi Parentis peccato videre eſt. Simul enim, atque Dei Opt. Max. præceptum tranſgreſſus fuit, ad latibula confugiens, inter denſa arborum folia, ſeſe occuluit. Cainus etiam, ſtatim fratre Abele interempto, tanto diuinæ iuſtitiæ timore, ob immane facinus, captus fuit; vt quaſi volens ab irati Dei vultu ſe abſcondere: *Ecce*, (ait) *a facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra, omnis igitur, qui inuenerit me occidet me.* *Geneſ. 3.* *Geneſ. 4. 14.*

Quaſi dicat: Dignus profecto ſum, qui tui amoris, ac benignitatis beneficijs caream; ob idque tamquam timore correptus, & tremebundus, huc illucque vagabor; quærens ſicubi poſsim ſecurus conſiſtere, tuæque iracundiæ vim euadere. Cum autem te mihi infenſum tanto meo flagitio reddiderim, quo me vertã neſcio, omnibus vndequaq; rebus in meũ interitum armatis, ac conſpirantibus. Hic eſt ſanè peccati effectus, hominem quam timidiſsimum reddere. *Fugit impius*, (ait Salomon) *nemine perſequente: iuſtus autẽ quaſi leo confidens, ſine terrore erit.* Et Sap. 17. fuſiſsime hac de re pertractans ait: *Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos, auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugentium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſsimis montibus Echo, deficientes faciebat illos præ timore.* Sicut enim ſervum, cui Princeps iraſcitur, reliqui omnes famuli, odio proſequuntur, quia offenſo Dño, æquum eſt *Prouerb. 28. 1.* *Sap. 17. 18. & ſequẽtibus.*

vt

dum: Quod autem dormit non ſecuritatis eſt, ſed mœroris; Nam & Apoſtolos legimus in Domini paſsione, præ triſtitiæ magnitudine, ſomno fuiſſe depreſſos.] Id ipſum affirmant Theodoretus, Theophylact. Chryſoſtomus. *Theodor. Theophy. in hunc locum. Chryſoſt. Hom. ſupradicta.*

¶ Et acceſsit ad eum gubernator, & dixit ei; Quid tu ſopore deprimeris?)

HEbraicè: RAB HAHHOBEL, magnus Gubernator, ideſt, Nauarchus, ſeu Princeps nautarum, ad quem, præ omnibus, nauis cura, atq; gubernatio ſpectabat. Magnus ſanè gubernator, magnaque laude dignus, qui nulla in re ſuo defuit muneri, ſed omnia ducis optimi munia excercens, de ſua eorumq; omnium quos vehendos ſuſceperat in columitate ſollicitus, huc illuc accurrens, omnia curat, & perueſtigat, omnia tentat, & experitur, ne ob culpam ſuam, ſeu negligentiam, vrgenti omnes periculo, deperirent. Hic igitur cum circumquaquè anxius diſcurreret, omneſq; nauis angulos perſcrutaretur, Ionam dormientem, vel forte aſpexit, vel conſultò quæſitum inuenit, quem excitatum, hunc in modum alloquutus eſt. *Quid tu ſopore deprimeris?* Hebraicè. *Quid tibi ſoporato?* LXX. *Quid tu ſtertis?* Quæ omnia eumdè ſenſum reddunt. Et merito quidem nauis præfectus, non ſolum mirari, ſed etiam ſuccenſere, atq; Ionæ vecordiam obiurgare debuit; cum in tanto omnium periculo, tanta rerum, atque animorum perturbatione, tam horribili ventorum, & fluctuum ſtrepitu, ac fragore, alijs omnibus pro communi ſalute ſollicitis, & laborantibus, fereque iam inuadētis mortis metu exanimatis, ipſe vnus tam eſſet ſegnis, & ſtultus, vt profundiſsime dormiens, ſterteret.

ſtertẽrẽt. Hem, inquit gubernator, quid hoc mõſtri eſt? Si tu forſitan es Aeolus, aut Neptunus, aut maris deus aliquis, qui poſsis ventis imperare, atq; fluctuum furorem comprimere, non eſt quod dormias, noſq; omnes, ſinas naufragio abſumi, quibus te nauigationis comitẽ & contubernalem exhibuiſti: Sin verò, vt nos, mortalis es, atque periculis obnoxius, incredibilis plane tua eſt amentia, qui ſic dormias, cum tibi maxime vigilandum eſſet, ac votis omnibus diuinũ numen implorandum.

¶ Surge inuoca Deum tuum ſi forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus.)

QVASI dicat: Iam nos deos noſtros precibus, ac votis ardentiſsimis inuocauimus, ac omnium ſacrificiorum genere conciliare conati ſumus, nec vllum ab ipſis eſt nobis auxilium hactenus præſtitum: Reliquum eſt, vt tu Deum tuum, quem colis depreceris; forſitan ipſe nobis placatus, atque beneuolus redditus, ex hoc periculo liberabit. *Si forte recogitet Deus de nobis.* Hebr. *Forſitan placabitur, ſeu amicus efficietur Deus nobis.* LXX. *Si quomodo nos ſaluos faciat Deus.* Chald. *Si forte miſericordia concedatur à Dño nobis.* Gentilis cum eſſet gubernator, multitudinẽ deorum colens, exiſtimabat, quoſdam deos eſſe, alijs maiores & potẽtiores; idcirco periculi magnitudine compulſus, vbi cæterorum, neq; hominum preces valebant, neque deorum, aut voluntatis, aut virtutis ſignũ vllum apparebat, ad Deum Ionę tandem confugiendum eſſe cenſuit; expeririq; voluit, (vt nullum nõ moueret lapidem) an Ionas, qui tantam in tanto diſcrimine dormiens præ ſe ferebat ſecuritatẽ, eſſet cæteris ſocijs innocẽtior, atque dijs gratior; ita vt eius meritis, cõcitatiſsimi maris inſania, ſedaretur: Vel Ionæ Deus, eſſet omnibus alijs dijs præſtantior, atque vali-

validior, in mare,& ventos imperium exercens.

¶ Et dixit vir ad collegam ſuum; Venite, & mittamus ſortes, & ſciamus,quare hoc malum ſit nobis.)

HEBRRAICE. *Dixerunt vir ad proximũ ſuum.* Ideſt,vnuſquiſque. Nomen numerale, ſeu diſtributivum, Quod, vt ſuperius dictum eſt,numerum pluralem exigit. Quare hoc malum ſit nobis.) Hebr. *Propter quem,vel cuius cauſa,&c.* Proſpiciebant nautæ,nihil preces, & vota nuncupata ponderis habere; nec vllam gubernãdæ nauis artem, ſiue induſtriam prodeſſe: immò magis,ac magis tẽpeſtatis vim increbreſcere.Propterea animum cõcorditer induxerunt, propter aliquod maximum flagitium eiuſmodi tempeſtatem à dijs iratis commotam, & ipſis illatam fuiſſe. In eam etiam mentẽ venerunt, videntes forſitan Ionam ſegniter admodum in fundendis precibus ſe habere:Vel (quod ego potius crediderim) eſſe animo tam pertinaci,& ſtupido,vt noluerit Deum deprecari:Nam ſi benè Ionæ propoſitum, quod tam mordicus, & obſtinate arripuit, perpẽdatur; maximè ſit veriſimile, nullas preces effudiſſe. Cum ad Deum (vt ex hiſtoriæ contextu apparet) nuſquam per pœnitentiam,& preces ſe ſe conuerterit, donec,vel in mare ſe ſe demiſſum.vel in Ceti aluo incluſum, ſingulariq́ue Dei pientiſsimi beneficio incolumen conſeruatũ animaduertit. Quod ſi modo nauarchi iuſſu,Dñm oraſſet, cum eſſet id maximi momẽti, Sacra Scrip. non ſubticuiſſet. Nautæ igitur ethnico more, quiſnam ille ſit,cuius culpa ſequiſsimam tempeſtatem patiantur, ſortibus explorare decreuerunt. Ac tandem ſortitione facta, ſuper Ionam infœlix ſors cecidit: Quamobrem fuit criminis reus deprehenſus, & deſignatus.

Theophy. affirmat Ionã oraſſe Dñm, nec tamẽ exauditũ fuiſſe.

DVO

DVO hoc loco breuiter sunt discutienda; alterum est; An vti sortibus liceat? Et an isti peccauerint sortem mittentes ad flagitiosum hominem inuestigandum? Alterum, Quæ forma, & modus fuerit huius sortilegij?

¶ Sciendum est, triplex esse sortium genus, vt docet D. Thomas: Aliæ enim sortes vocantur diuisoriæ, quibus vtuntur homines, vt sciant, quid, cuique sit tribuendum. His sortibus vtuntur in controuersijs, & litibus dirimendis; in hæreditatibus, possessionibus, lucris, & alijs bonis communibus diuidendis, in honoribus, dignitatibus, & publicis administrationibus distribuendis; in magistratibus eligendis, & alijs rebus discernendis: Vt si duo proponātur æque idonei, & digni, vel æque indigētes, & eorum, alterutri sit ius, vel aliud emolumentum conferendum, solet lis, & controuersia sorte componi, & dirimi. Et hoc genus sortiū, nec iure naturali, nec ciuili est prohibitum. Quod plane colligitur ex l. Si cum ambo. ff. de iudicijs, l. Si duobus. C. Communia. de legibus. De his sortibus scribit Beatus Augustinus in epistola. 180. ad Honoratum. vbi ait: Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum, tempore persequutionis maneant, ne fuga sit omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium, deseratur Ecclesia, si hæc disceptatio aliter non potuerit terminari, quantū mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte eligēdi sunt.] At vero in electionibus Ecclesiasticis, ad dignitates, officia, administrationes, & beneficia Ecclesiastica, sortes iure Canonico prohibentur. Nam in c. Ecclesia. de sortilegijs in fine dicitur: Sortis vsum in electionibus, perpetua prohibitione damnantes. In electionibus autem ad dignitates, & administrationes, ciuiles, sors nō prohibetur, neque in iudicijs ciuilibus,

2.2. quæstio. 95. artic. 8.

neque

neq; in litibus,& causis clericorum ad temporalia pertinentibus est interdicta, vt ait Abb. cap. Ecclesia. de sortilegijs.

¶ Aliæ sortes dicuntur consultoriæ, quibus diuina voluntas exquiritur,vt sciatur quid sit faciendum,quid fugiendum: quo sortium genere sœpe vetus Hebræorum populus vtebatur; eo etiã vsi sunt Apostoli Actor. 1. cum Mathiam Apostolum in locum Iudæ proditoris sorte elegerunt, & Iosue. 7. iudicio sortiũ punitus fuit Acham. Saul quoq; sorte deprehendit filium suum Ionathan mel commediſſe contra Regium edictum. 1. Regum. 14. Vnde in his sortibus non semper peccatum committitur, vt statim dicemus. *Actor.* 1. *Iosue.* 7. *1. Reg.* 14.

¶ Aliæ sortes diuinatoriæ appellantur, quibus aliqui vtuntur, vt sciant futura,& occulta: Cum obseruatis,& inspectis sortibus, futura prænuntiantur,vel aperiuntur occulta; vtpote, si modo sic,modo aliter,tabula, taxilli, cartæ, aut grana tritici, vel fabæ decidant, fortuiti rerum euentus prædicũtur, aliaque huiusmodi multa fiunt vanissima, ad diuinationem signa. Et hoc genus sortiũ iure Canonico prohibetur: quod ex Gentilium vana superstitione dimanauit. In sortibus etiam diuisorijs peccatum est, si quis eis vtatur, ac si fortunæ vel stellarum vi dirigantur, & temperentur. In cõsultorijs peccatũ mortale est, si per sortes à dæmonibus spectetur euentus; si à dæmone cõsilium per sortes quæratur. Item ad eis licitè vtendum,hæc requirũtur: Primo, Quod intercedat necessitas; Secundo vt fiant cum debito Dei honoris cultu; Tertio, Quod diuina oracula ad spiritualia, non ad temporalia, & inutilia consulantur: alioqui enim esset Deum tentare, & ex consequẽti peccatum mortiferum. Et ita D. Augu. epist. 119. ait: His,qui de paginis Euangelicis sortes legunt, & si optandum

tandum sit, vt id potius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant, mihi tamen displicet ista consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ huius vanitates, diuina oracula velle conuertere. ¶ Hæc omnia ex D. Thom. doctrina exhausimus: Quam elucidans Cardinalis Caietanus annotat, oportere, in sorte diuidendis dignitatibus temporalibus, vt ij, qui sortibus subduntur, viri sint virtute præditi, & ad ipsas dignitates, aut Magistratus capescendos idonei: secus enim si promiscue, & sine delectu omnes, tam probi, quàm mali admittantur, peccatum est vti sortibus: non quidem ad superstitionem spectans, sed ad fatuitatem, cum vergat in commune Reip. damnum; quam hoc modo improborum hominum regimini, & gubernationi sæpe subdi necesse sit. In dignitatum vero spiritualium diuisione, nullus sortibus locus esse potest, ex iuris Pōtificij præscripto, cap. fin. de sortilegijs. Cum sint Ecclesiæ electiones, diuini spiritus instinctu, celebrandæ. Causam huius discriminis, quod intercedit inter diuisiones temporalium, & Ecclesiasticarum dignitatum, assignat docte, & luculenter Caietan. eodem loco, ad quem lectorem mittimus, ne instituti nostri cācellos transgredi videamur.

EX dictis satis apertè colligitur, nō fuisse hos nautas à peccato immunes, sortes mittendo. Cum enim essent Ethnici, Idolorum cultui addicti, omnia fato, & stellarum virtuti tribuentes, plurimum superstitionis hac in re obseruasse credendum est. Clementissimus tamen Dominus, qui pro sua immensa bonitate, & sapientia, potest, ac solet ex malis, bona plurima elicere, ipsas sortes (nulla habita nautarum superstitionis ratione) ita direxit, vt consuluerit, & Ionæ saluti & navis incolumitati, & Niniuitarum vtilitati: & demum

suam,

ſuam potentiam, atque pietatem manifeſtiſsimis ſignis; maximiſque prodigijs patefecerit. Ionas enim ſortibus proditus, ad ſceleris ſui confeſsionem, & pœnitudinẽ reuocatur: Nauis, proiecto Iona, tranquillitatem adipiſcitur: Nautæ, veri Dei cognitione idola deteſtantes, imbuuntur: Niniuitæ, ipſiuſmet Ionæ à Ceto deuorato, & evomito monitis & clamoribus, ab impietate, ad meiioris vitæ inſtitutum, traducũtur. Vide quot bona, ex hoc vaniſsimo nautarũ facinore, Deo annuente, promanarunt. Non poſſum ſilentio præterire, quod ait Benedictus Arias Mõtanus in hunc locum: Sacram Hiſtoriam ſubindicare, nautas, videlicet, ne quemquã caſu, & fortuna per ſortes deprehenſum, temere condemnarent, haud vnica ſortitione cõtentos fuiſſe; ſed ad rem optimè explorandam, bis, & ter, & pluries ſortem proieciſſe; pro certo habentes, quod ſi toties repetita ſors, in vnum, & eumdem recideret, id non fortuito euentui, ſed diuino conſilio tribuendum eſſet. Sicq́, Ionæ contigit, Deo diſponẽte: quoties enim ſortis aleam ſubijt, toties ab ipſa peccati reus, patefactus fuit.

¶ De modo autem, & forma huius ſortitionis, nihil certi affirmare poſſumus, nec ex ſacro contextu colligere. Quapropter apud diuinarum litterarum interpretes, nec vllum hac de re verbum, ſcriptũ reperio. Fuerunt ſiquidem apud veteres, varij ſortiendi ritus. Romani enim, tàm in iudicijs, quam in ſuffragijs ferendis. vtebantur lapillis, ſeu calculis, vel etiam fabis, (teſte Plutarcho) candidis, & nigris in vrnam iniectis, ac nominibus ſcriptis illorum, qui fœlicẽ, vel iniquam fortunæ cõditionem erant ſubituri. Candidus etenim lapillus ſortito obueniens, fœlicitatem; ater vero condemnationem adiudicabat. Sic Ouidius.

Plut. lib. de educ. liberis.

Ouid. 15. Metam.

Mos erat antiquis niueis, atrisque lapillis
His damnare reos, illis, absoluere culpa.

Idem affirmat Liuius lib. 2. dec. 3. Hinc ortum habuit, vt fausti dies, candido notarentur lapillo, infausti, atro. Vnde Persius Satyra. 2.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Gann. in Act. Apostolorum. Vide Fr. Ciscū Riberam in c. 2. Apoc. super illa ver. dabo et calculum candidum.

¶ Hunc sortiendi modum, obseruasse Apostolos in Mathia ad Apostolicū munus eligendo, significat Ioannes Ganneius, his verbis: Forsan nom maiè putem, nihil aliud Apostolos hic sortitos esse, quam eorum nomina inscripsisse, & in vrnam misisse; Deumque rogasse, vt eius nomē prius exiret, quem aptiorem huic muneri sciret.] Erasmus etiam, illud de Zacharia Luc. 1. *Sorte exijt vt adoleret incensum*, sic interpretatur: *Sors exijt.* Quasi noster interpres significare voluerit sortionem illam, factam fuisse per sortes in vrnam missas; licet ex Græco contextu, nihil de modo sortiēdi eliciatur. Qui sic habet: *Sortitus est, vt adoleret suffitum.* Verum idem est omnino sensus, cum dicimus; sorte exijt. Cum enim aliquis per sortes in vrnā missas, ad aliquid eligitur, non solum sortem illius exijsse dicimus, sed ipsum etiam per sortē exijsse; eo quod ex altera vrna, nomen eius descriptum depromatur. Alexā. ab Alex. lib. 5 Geni. dier. c. 8. asserit eodē modo in Olympicis ludis, athletas pugnaturos, pares eligi cōsueuisse: Sorte, quoquè (ait) educi ad pugnandū, paria athletarum, & de loco interse pugiles descernere, exemplis sœpe probatum est. Quæ sortitio fiebat, vt calculis in vrnam coniectis, binæ cōpares litterę, inscriberētur; quiq; eductis

Sixtū Seneus. lib. 2. Bibliothecæ in verbo Calculus. Alexā. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

sorti-

sortibus pares sortiti erant, inuicem committerentur.¶

Idem habetur apud Cæl. Rhodi. lib. 22. cap. 18. lect. antiq. Idem etiam fere de Cytharædis in scœnam prodituris, videtur innuere Sueton. in Nerō. cap. 21. dum ait: Ac sine mora, nomē suum in albo profitentium cytharædorum, iussit ascribi, sorticulaque in vrnam cum cæteris demissa, intrauit ordine suo.¶ Quo alluisisse Tertullianum lib. de spect. cap. 16. affirmat eius scholiastes Iacobus Pamelius. Quidquod ipse idem Pamelius illud Prouerb. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum*; sic interpretatur, ideſt, in vrnam. Vox enim Hebr. HEK significat non solum sinū, quæ est pars corporis media, & intima, vel gremium, sed etiam recessum quempiam, & locum intimum, & absconditum. Vnde non incongruè vrnæ, vel vasi cuilibet, in quo sortes absc̄duntur, adaptari potest. Eo spectat, quod dixit Plautus: Ego sic agam, conijciam sortes in cistellam, & sortiar tibi, & Chalino. Sinus, vel sinum in neutro genere, teste Varrone, lib. 4. de ling. Lat. genus est vasis, ad vinum, vel lac deferendum aptum. Ita Virgil. Eclog. 7. *Prou.* 16.

Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis.
Expectare sat est.

Certe galea, vice cistellæ, aut vrnæ, ad huiusmodi sortitiones vsos fuisse olim viros militares, ostendit Virgil. lib. 5. Aeneid.

Conuenere viri deiectam ą̄ ærea sortem
Accepit galea, & primus clamore secundo
Hirtacidæ ante omnes exijt locus Hypocoontis.

Horatius lib. 3. Od. 1. de æqua omnibus moriendi sorte,& ineuitabili necessitate, in hunc modum philosophatur.

Aequa lege necesſitas
Sortitur insignes & immos,
Omne capax mouet vrna nomen.

¶ Idem etiam lib. 2. Od. 3.

Omnes eodem cogimur : Omnium
Versatur vrna, serius ocyus
Sors exitura : & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

¶ Quibus Horat. ad vetustissimum sortiendi morē, nominibus in vrnam missis alludens, videtur asserere; mortem quasi vrnam esse omnium mortalium; ex qua reuolutis nominibus, sors citius, vel serius moriendi, ipsis obtingit; vnde vna ex Parcis, vocabatur *Lacheſis*, ideſt, sors, à verbo *lacheo*, hoc est, sortior. M. T. Cic. in Verr. de iure dicundo ita ait : Quod ab eo pridie cū multis lacrymis cum oraret, atq; obsecraret, Heraclius impetrare non poterat. Ideo postero die venit in mentem, è lege Rupilia sortiri oportere, educit ex vrna tres, his vt absentem Heraclium condemnent imperat.] Et paulò post agēs de Sacerdotum Siculorum initiatione: Iubet ille sibi legem legi : recitatur: in qua scriptū erat, vt quot essent renunciati, tot in hydriam sortes conjicerentur : cuius nomen exisset, vt is haberet Sacerdotium.]

Leui. 16. De varijs modis sortiū illicitis.

¶ Hieronymus ab Oleastro in cap. Leuit. 16. vbi sorte definiri præcipiebatur, de duobus capris, vter esset immolandus,& vter in solitudinem relegandus, censet eiusmodi sortitionem factam à Summo Sacerdote, per festu-

festucas, seu virgulas, alias alijs longiores. In hac autē sortitione, si cōiecturis est locus, existimo, à nautis veterrimum morem, sortes mittēdi in vrnam, obseruatum fuisse; atque atrum lapillum semper Ionæ obuenisse. Quamobrem sons & sceleris auctor, ab omnibus declaratus fuit. Idem sentisse videtur Aurel. Prudent. hanc eamdem describens historiam Cathemerinon.

tarum ad diuina tamē specūlatium, vide præter alios Martinum del Rio l. 4. disquis. Mag. c. 2 q. 7. sect. 3

Iussus perire solus è cunctis reus
Cuius voluta crimen vrna expresserat
Rotatur. &c.

¶ ET dixerūt ad eum, indica nobis, cuius causa malū istud sit nobis: quod est opus tuū? quæ terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu?)

HAEC est prima singularis nautarum erga Ionam amoris, & humanitatis significatio. Qui ipsum iam toties per sortes, deorum iudicio condemnatum, ac tacitè crimen suum confitentem, non statim deuouerunt, aut in mare præcipitarunt, sed vlterius tamquam pij, & æqui iudices, explorant, inquirunt, percontantur. Quod egregiè perpendens Theophylactus ait: Intuere hic, barbarorum hominum æquitatem. Nō enim statim vt agnouerunt Ionam auctorem esse turbinis, & tempestatis, agrestibus in ipsum moribus ferebantur: Cæterum blande, & māsuete interrogant, cuius causa malum hoc, ideſt, afflictio ista, ex quo peccato abste commisso in nos, venit? Percontantur autem, vt vbi didicerint delictum, experiantur expiare, & emendare.] *Indica nobis.* Hebr. *Indica obsecro, nobis.* Quibus ostenditur, quam blandè, &

benignè Ionam alloquantur. Quatuor ab eo exquirũt: Primum, cuius causa malum istud sit nobis. Hoc est, quodnam facinus perpetrasti, propter quod tam sæua iactamur tempestate. Explorato flagitio putabãt remedio aliquo posse expiari, deosque placare. Quia vero ab aliquo, criminis confessionem extorquere nõ facile est: secundo interrogant. Quod opus tuum? Ex arte enim, quam quis exercet, facile colligi potest, qua in re ab ipso peccatum sit. Sunt profectò quædam artes, quæ vix sine magno scelere tractari possunt, vt fœneratorum, quorum quæstus plerumq; damnantur: Quædam sunt, suapté natura nefariæ, vt Magorum, Prædonum, Siccariorum, & quæ ad impietatem, vel hominum perniciem referuntur. idcirco Ionam sciscitantur, Quid illi artis esset? Num tam improbum vitæ genus profiteretur, vt deos sibi infensos habere meruerit. Tertio quærunt: Quæ terra tua? Cuias es? Nam si ex tua arte, quale sit facinus deprehendi non possit, saltim indica nobis, ex qua ciuitate sis oriundus? cum ex illorum, quibus cum vixeris consuetudine, mores tuos, gestaque venari oporteat. Postremo quærunt: *Quo vadis, vel ex quo populo es tu?* Hebraicè: *Et vnde venis?* Ita interpretatur Pagninus, Vatabl. Benedictus Arias Montanus, Tigurina. LXX. *Vnde venis? & quo vadis?* Quasi dicat. Non ex loco, vbi quis natus est, sed in quo educatus, ipsius vitæ rationem, expendi necesse est: idcirco auemus scire, vnde venias? hoc est, in qua hactenus vrbe, seu oppido commoratus sis: qua cum gente fuerit tibi conuersatio, & consortium? Optime vero mihi videtur noster interpres transtulisse; *Et quo vadis?* (quod etiam habet Græca Editio) immò vtrumq; eos interrogasse crediderim. *Vnde venis? & quo vadis?* Est enim hoc genuinum illorum; qui in magna animi

pertur-

perturbatione, & discrimine versantur, in huiusmodi interrogationes prorumpere. Quale illud est Virgilianum à Divo Hieronymo etiam citatum. 8. *Aenei.*

Iuvenes quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? Quo tenditis? inquit
Quod genus? Vnde? Domo? pacemne infertis? an arma?

¶ Ex fine enim, & scopo humanarum actionum conditio pendet. Denique hæc tam accurata inquisitio eo spectat, vt (quãdoquidem maximi alicuius flagitij grauitate puniuntur) explorare valeant; an illud priuatum sit, & Ionæ proprium: an vero publicum, & à suis contribulibus populoque promanans. Ob id enim non solum de sua religione, & arte inquirunt, sed etiam de sua patria, & cognatione.

ET dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum Cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam.)

IAM incipiunt illucescere diuinæ bonitatis radij, Ionæ animũ ad pœnitentiam disponentis, & mollientis. Is enim nullo modo audet peccatum suum excusare, aut contegere; sed ingenuè illud fatetur; atq; exponit, se nullius, vel hominis, vel loci, vel gẽtis scelere obstringi; sed quia veri, ac Præpotentis Dei imperium detrectauit, munusq; vaticinãdi impositum deseruit, adeò sibi diuinum Numen iratum esse; vt tanti facinoris vindicandi gratia, eiusdem Summi Dei iussu (cui mare, & venti, & omnia ad nutum obediunt) sæuissima tempestas fuerit concitata. Sed perpendamus singula.

Hebræus

¶ Hebræus ego sum.)

HIS verbis, respõdet illis quæstionibus: *Quæ terra tua? vnde venis, vel ex quo populo es tu?* Nam cum se Hebræum profiteatur, indicat aperte, ex gente, & regione Iudaica esse oriundum, atque profectum. LXX. *Seruus Dei ego sum.* Quam interpretationem sequuntur Theophy. Theodor. Clemens Alexan. & fere omnes Græci Patres. Hanc interpretum diuersitatem, ex similitudine litterarum Daleth, & Res, ortum habuisse existimare possumus. Nam pro GHABRI, ideſt, Hebræus, vt legit noster interpres, LXX. legerunt GHABDI, hoc est; seruus eius, ideſt, Domini. Verum germanior est, vt patet, nostrę Editionis lectio; quã confirmat etiam Chaldaica, quæ sic habet: *Iudæus sum ego.* Interrogatus enim Ionas de patria, & genere, & reliquis, ad omnia presse admodum, & succinctè respondet; & cum sequẽtibus verbis. (*Et Dominum Deum Cæli ego timeo*) significet se esse Dei seruum, vt mox explicabimus. Res est apertissima, se Hebræum in primis profiteri voluisse; quo, vt dictum est, tribus illis quæsitis, de patria, regione, & gente satisfaceret. Notat hoc loco D. Hieronym. non dixisse, Iudæus ego sum, sed Hebræus, vsum, cõmuniori, & notiori nomine apud omnes. Nam Israelitæ non fuerunt appellati Iudæi, nisi post diuisionem duodecim tribuum. Benedictus Arias Montanus ex significatione nominis, Hebræus, colligit Ionam crimen suũ subindicare voluisse. Hebræus enim idem est, quod Latinè transitor, à verbo GHAVAR, quod significat, transire, prꝫterire, trãsgredi. Vnde hoc nomẽ impositum est Hæbræis, vel à Sem, Noe filio, cuius posteri Euphrate fluvio traiecto, nouas sibi sedes quæsiuerũt, hac de causa appellati, filij Heber. Genes. 10. 12.

Theophy. Theodor. in hunc locũ. lib. 5. Strom.

Genes. 10 21.

10. 21. Vel quod probabilius eſt, ab Abraham, qui eo quod ex Chaldæorũ regione in terram Chanaan, magnum flumeu tranſgreſſus commigrauit, à Chananęis, & Phœnicibus dictus eſt Hebræus, hoc eſt, tranſitor. Geneſ. 14. 13. *Nunciauit Abram Hebræo*, vbi LXX. verterunt. *Abram tranſitori*: Quaſi dicat Abraham illi tranſfluviali; ſicut modo aliquẽ nominamus Tranſalpinum, Tranſmontanum, &c. D. Auguſt. quæſt. 29. in Geneſ. ita legẽdum cenſet: Nunciauit Abraham transfluviali. Cuius hæc ſunt verba: Transfluvialem Abraham appellatum, etiam Græca exemplaria ſatis indicant: ſed cur ita appellatus ſit, hæc videtur cauſa: Quod ex Meſopotamia veniẽs, tranſito flumine Euphrate, ſedes cõſtituit in terra Chanaam, & trãsfluvialis appellatus eſt, ex ea regione vnde venerat.] Hæc ex Auguſt. Cui adhæret Philo lib. de migratione Abraham, & Rabbi Selomo. Vide Genebrard. in Chronologia anno ab orbe condito 1724. in Heber. 14. Quare ex Montani ſententia, Ionas non tàm genus ſuum, quàm culpam detegere hoc nomine voluit; & oſtendere diuinum mandatum à ſe ſtudioſe præteritũ fuiſſe. Nam verbũ GHAVAR, vnde nomen Hebræus, deducitur, nõ ſemel in ſacris libris ad diuinarum rerum contemptores, & tranſgreſſores, denotãdos, vſurpatur. Ioſue. 7. 10. *Peccauit Iſrael & præuaricatus eſt pactum.* Hebr. ſic habetur. *Trãſgreſſi ſunt pactum meum.* Et inferius verſ. 15. *Quoniam præuaricatus eſt pactum Domini.* Hebr. *Quoniam tranſgreſſus eſt pactum Domini.* Ierem. 34. 18. *Qui præuaricãtur pactum meum*, ideſt, transgrediuntur pactum meum. Hæc tamen Montani opinio, quam ſit vero ſimilis, lectoris eſto iudicium.

Geneſ. 14. 13.

De nomine Hebræus, vide D. Auguſti. lib. 16. de Ciuita. Dei. cap. 3.

Ioſue. 7. 10. & 15.

Ieremiæ 34. 18.

¶ Et

¶ ET Dominum Deum Cœli ego timeo.)

HIS verbis respondet Ionas ad eam quæstionem: Quodnam est opus tuum? In qua quæsitū ab eo est, de religione, & artis professione: cui satisfacit, affirmādo se esse Dei omnipotentis servum, atque cultorem; hoc enim significat verbum, *timeo*. Quod in sacris litteris ad pium Dei cultum, & veneratione refertur. Latria si quidem ex vi nominis denotat vehementiam, & intentionem quandam timoris, qui promanat ex perfecta Dei cognitione. Quare D. Thom. doctissimè, Dei honorem, & reuerētiam refert ad donum timoris. Atque hæc significatio, à Latinis (etiam prophanis auctoribus) recepta fuit. Ouid. 5. Metamorph.

LXX. habēt, Dñm Deum cæli ego timeo.

2. 2. *q.* 19. *art.* 9 & *q.* 18. *art.* 2.

Emathion æqui cultor timidusque deorum.

Et Fastor. 5.

Ille memor ritus veteris, timidusq; deorum
Surgit. Idest, servus, & cultor deorū. Pers. Sat. 2.
Ecce auia, aut metuens diuum matertera, cunis
Exemit puerum frontemq; atque vda labella
Infami digito, & lustralibus ante saliuis,
Expiat.

Hoc est, auia, vel matertera diuorum cultrix, valdèq; religiosa, atque cæremoniarum obseruantissima. Quare in sacro eloquio sœpissime, timor sumitur pro Dei adoratione, & cultu. Math. 4. 10. *Deum tuum adorabis.* Quod ita habetur in Deut. vnde id sumptum est; *Deum tuum timebis.* Psalm. 110. 10. *Initium sapientiæ timor Domini.* Per sapientiam intelligunt sacri expositores, diuinam legem, quæ Decalogo continetur; cuius primum, ac po-

Matth. 4. 10. *Deut.* 6. 13. *Psal.* 110 10.

ac potiſsimum præceptum eſt; de nō habendis dijs alienis, vitandaq; idololatria, ac de vero Deo colendo, & adorando. Deuter. 5. 7. Quoniam autem Dei adoratio & cultus non modo interiori animi affectu, ſed etiam externis ſignis, & ritibus exhibendus eſt, vtrumque timoris nomine continetur. Vt Pſal. 5. 8. *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Ideſt; ſacrificijs, oblationibus, ac cæremonijs à te præſcriptis, ijs, qui ad templum ſanctum tuum accedunt, vt te adorent, ac venerentur. Ita, & ſanctiſsimus Iob non ſolum ſimplex, & rectus, ideſt, iuſtus, erga proximum deſcribitur; ſed etiā timens Deum, & recedens à malo; hoc eſt, Deum colens, eiuſque mandata obſeruans. Et de Simeone, qui Chriſtum in vlnas accepit, dicitur Luc. 2. 25. *Et homo iſte iuſtus, & timoratus.* Græce, *Eulabis.* Ideſt, pius, & religioſus Dei cultor. Quare Ionas, agēs hoc loco de Deo vero, cuius ſe cultui, & religioni adſcriptum profitetur, apponit nomē ineffabile IEHOVAH, quod eſt Dei proprium, immenſam eius maieſtatē exprimēs. Vocat autem eum, Dñm Cœli, quo oſtendat, longiſſime differre à dijs gentiū fallacibus. Iuxta illud Pſal. 112. 5. *Quis ſicut Dñs Deus noſter, qui in altis habitat.* Et Pſal. 113. 11. *Deus autem noſter in Cœlo, omnia quæcumq; voluit fecit.* Et Pſal. 10. 4. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius.* Vide etiam quo pacto Ionas vt pote in ſacris litteris verſatus, naturæ ordinem obſeruet, dicens: *Qui fecit mare, & aridam.* Nam initio naſcentis mundi, terra non prius extitiſſe dicitur, quam aquæ, (quibus contecta erat) in locum vnum congregarentur, ſede ac lege ipſis à Deo præſcripta, quam nō tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Vel etiam prius meminit maris quam terræ, vt indicet mare, cuius grauiſsima tempeſtate iactabantur, æque

Deu. 5. 7.

Pſal. 5. 8.

Iob. 1. 1.

Luc. 2. 25.

Pſal. 112. 5.

Pſal. 113. 11.

Pſal. 10. 4.

Pſal. 103. 9.

Deo

Deo cæli subesse, ac cætera elementa. Tum etiam, vanissimam esse Gentilium religionem, præsertim nauigantium; qui in primis obseruant, & venerantur Aeolum, Neptunum, Nereum, aliaque id genus portenta, quæ maris numina appellant. Non possum non magnis laudibus efferre hanc Ionæ professionem, qui intrepido corde, & ore, corã Ethnicis hominibus, à Dei Opt. Max. cognitione, & veneratione abhorrentibus, ipsius præpotentem virtutem, & maiestatem mirifice confitetur, extollit, prædicat. Theod. Mirus porro Propheta, dignus qui omnibus laudibus ornetur: capitis cõdemnatus, præco fit potestatis Dei Omnipotentis, omnium rerum fabricatorẽ, & Dominum appellans.] Ita etiam Theophylact. Admiratione, (inquit) dignus est Propheta, vt qui morti proximus existens, prædicet Dei potentiam, & nauticis creaturarum, & idolorum cultoribus, reuelet magnificẽtiam eius.] *Quamobrem* existimo diuinum sibi fauorem, & gratiam conciliasse. Est namque actio hæc, Deum confitendi publice, quando opus fuerit, ita ad veram religionem spectans, vt absq; ea de Deo bene mereri nemo possit. Luc. 12. 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Luc. 12. 8.

Rom. 10. 10.

¶ Tandem Ionas se Dei Prophetam esse, & quale esset suum flagitium detexit: affirmans se, ne diuino præcepto obediret, in Tharsum fugere decreuisse; atq; ob id tempestatem à Deo fuisse concitatam. Hoc apertissime colligitur ex verbis, quę statim sequuntur in sacra Historia: Cognouerunt enim viri quod à facie Dei fugeret, quia indicauerat eis. Et sic responsum fuit ad quæstionem: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis?

¶ ET

¶ ET timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc feciſti? ¶

AVDITA Ionæ confeſsione, expauerunt viri vehemẽter, magnoque timore perculſi ſunt: Quod ſibi quiſque non ſemel deliquiſſe, vt Ionas, ſed ſœpiſsime diuinum imperium voluntatemq; violaſſe, conſcius eſſet. Conſideranda tamen ipſorum eſt maxima benignitas, qui in Ionam tantæ calamitatis auctorẽ, iam conuictum, & declaratum, non ſtatim populari tumultu irruentes ſcommatis, pugnis, fuſtibus, ferro debachãtur, ſed tantummodo blande obiurgant, dicẽtes; Quid hoc feciſti? Quaſi dicerent: Debueras quidem Dei omnipotentis imperio obtemperare, tu, qui eius tantam virtutem prouidẽtiam, maieſtatem, & ſæueritatem, probe noras: At cum ſcires te, eius, qui terræ, mariſque Dñs eſt, non poſſe manus effugere; miramur certè quamobrem, nos inſontes, & tanti criminis ignaros, volueris certiſsimo periculo obijcere. Quid, quæſo, mali in te commiſimus? Qua te affecimus iniuria; aut qua in re tibi moleſti fuimus?

Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis? (Quia mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos.)

ECCE tertium horum virorum pietatis, ac benignitatis argumentum: non enim audent in Ionam ſententiam ferre, quamuis eſſet ipſum condemnandi apertiſsima cauſa, ſigniſq; à Deo manifeſtiſsimis confirmata: præſertim cum mare, in ſingula momenta magis intumeſcens, cõtra eos fureret. Verũtamen, ipſi tãquam prophetę, de ſe ipſo iudiciũ deferunt, quippe qui culpæ ſuæ, & religionis conditionẽ, optimè noſſet. Cõſulitur ergo, quo pacto ipſe, & ſocij incolumes euadere queãt: Num reduci eum ad terram operæ præium eſſet? Num

vota

vota communiter pro ipſius ſalute ab omnibus nuncupari, & ſolui oporteret? Num certis quibuſdam precibus,& ſacrificijs, ipſius crimen expiandum, diuinumq; Numen placandum eſſe, intelligeret? *Et ceſſabit mare à nobis.* Hebr. *Et ſilebit mare deſuper nobis.* Quo indicatur mare ipſum, vt Dei lictorem,terribili fluctuvm fremitu, atque ictibus, tamquam clamoribus quibuſdam, ipſos vrgere; poſtulans ad ſupplicium fugitivum Prophetam, & diuinæ voluntatis præuaricatorem. Mare ibat.] Phraſis vſitata continuum incrementum ſignificans, vt Geneſ. 8. 5. *Aqua ibant, & decreſcebant.* Virgil. 4. Aeneid.

Geneſ. 8. 5.

It ſtridor, & alte
Conſternunt terram, concuſſo ſtipite frondes.

It ſtridor, ideſt, creſcebat. Et intumeſcebat.] Hebr. VE SOGHER. Turbabatur, turbinem concitabat. Vatablus: Tumultuabatur.

Theophylactus:Poſt ſortem vehementior impetuoſiorque tempeſtas exorta eſt; mare enim ibat, hoc eſt, plus agitabatur, & intumeſcebat. Quædam hic exemplaria pro,ibat, Admodum concitabatur,habent. Hoc eſt, horrendum ſtrepebat,tremendum murmur edebat, quaſi fluctus interſe mutuo naui illiſi eſſent, atque hi poſt ſortitionem magis tumultuati ſunt; Deo palam indicante, per quem iſta prouenerit afflictio.]

¶ ET dixit ad eos: tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego, quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos.)

IAM intueri iuvat,in Iona hactenus tam timido,tam excorde, tamquè cõmunis periculi negligenti, admiran-

mirandam, & omni laude dignam magnanimitatem, & dilectionem erga suos contubernales, pro quorum salute, & in columitate mortem oppetere libētissime statuit. Nam maiorem hac charitate nemo habet, quam vt animam suam ponat, quis pro amicis suis. Hoc eodē zelo, & charitatis flamma accensus Dauid, cum teterrima pestis, Deo iubente, in populum grassaretur, dixit: *Ego sum qui peccaui, & ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Divus etiam Paulus cupiebat, anathema esse pro fratribus suis. Ita noster Ionas, ad meliorem frugem reuersus, ac diuinæ pietatis luce perfusus, vitam profundere, ac se deuouere mavult, quam socios suos deperire: quos sic affatur: Scio mei flagitij causa hāc vobis tempestatem inflictam: Aequum profecto est, vt solus ego pœnas luam; idcirco mari me committite, quod cum me solum expectat, tāquam Dei vindex, me vno absumpto, statim mansuescet; trāquillumque reddetur. Theoph. Talem sese gerit bonis cōsilijs prædita anima: cognito peccato suo, rubore suffunditur Propheta; quod deliquerit, non morem gerens Deo; nō ignorans autem, quod mare obtemperet, seruiens diuino mandato, se ipsum inobediētem Deo, morte condemnat.] Hierony. Similiter hunt sensum reddit verborum Ionæ: Cōtra me tempestas detonat, me quærit, naufragiū vobis minatur, vt me prehendat. Me prehendat, vt mea morte viuatis. Sic in maria, libamina fundite, tempestas, quæ propter me sæuit contra vos, me moriente, sedabitur.] Animaduersione etiam dignum est, Ionam vehementi sui sceleris dolore, & diuinæ vltionis timore perculsum, non se in mare præcipitem dedisse, aut alio pacto mortem sibi conciuisse:

Ioan. 13.

2. Regum 24. 17.

Theophy. in Ionam

D. Hiero. in Ionam

mirandam, & omni laude dignam magnanimitatem; & dilectionem erga suos contubernales, pro quorum salute, & in columitate mortem oppetere libētissime statuit. Nam maiorem hac charitate nemo habet, quam vt animam suam ponat, quis pro amicis suis. Hoc eodē zelo, & charitatis flamma accensus Dauid, cum teterrima pestis, Deo iubente, in populum grassaretur, dixit: *Ego sum qui peccaui, & ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Divus etiam Paulus cupiebat, anathema esse pro fratribus suis. Ita noster Ionas, ad meliorem frugem reuersus, ac diuinæ pietatis luce perfusus, vitam profundere, ac se deuouere mavult, quam socios suos deperire: quos sic affatur: Scio mei flagitij causa hāc vobis tempestatem inflictam: Aequum profecto est, vt solus ego pœnas luam; idcirco mari me committite, quod cum me solum expectat, tāquam Dei vindex, me vno absumptō, statim mansuescet; trāquillumque redderur. Theoph. Talem se gerit bonis cōsilijs prædita anima: cognito peccato suo, rubore suffunditur Propheta; quod deliquerit, non morem gerens Deo; nō ignorans autem, quod mare obtemperet, seruiens diuino mandato, se ipsum inobediētem Deo, morte condemnat.] Hierony. Similiter hunc sensum reddit verborum Ionæ: Cōtra me tempestas detonat, me quærit, naufragiū vobis minatur, vt me prehendat. Me prehendat, vt mea morte viuatis. Sic in maria, libamina fundite, tempestas, quæ propter me sæuit contra vos, me moriente, sedabitur.] Animaduersione etiam dignum est, Ionam vehementi sui sceleris dolore, & diuinæ vltionis timore perculsum, non se in mare præcipitem dedisse, aut alio pacto mortem sibi conciuisse:

Ioan. 13.

2. Regum 24. 17.

Theophy. in Ionam

D. Hiero. in Ionam

sed tantummodo se ipsum morte dignum iudicasse; alijsque occidendum tradidisse. Nō est enim nostrum, ait Divus Hieronymus, mortem arripere; sed illatam ab alijs libenter accipere. Vnde, & in persequutionibus, non licet propria perire manu, sed percutienti colla submittere.] Vide Sotum de iustitia & iure lib. 5. quæst. 1. artic. 5.

Hierony. in Ionam

¶ ET remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant; quia mare ibat, & intumescebat super eos.)

SI maris furor contra nautas augebatur, ipsorum charitas erga Ionam maximo incremento elucebat. Nam quid amplius ipsis expectādum erat ad Ionam maris supplicio commitendum; cum, & Dei voluntas, & ipsius Ionæ confessio, sententiæque promulgatio, & maior tempestatis sæuitia, ipsos vrgere viderentur? Nihilominus tamen non audent vatem in mare demergere, nec morti obijcere; sed totis viribus remigando, nituntur in terram reducere: vt hoc pacto, & ipsius, & nauis incolumitati, consulatur. Consideret, obsecro, attentissime hoc loco Christianus lector, quantum viri isti idolatræ, & barbari, homicidium exhorrescerent: quandoquidem communis naufragij periculo sese potius exponere, quam Dei prophetā, tametsi sceleris, & tempestatis auctorem, morti tradere decreuerunt. Vnde perspicimus, quam sit deploranda hoc tempore, plurimorum hominum immanis sæuitia, qui

qui in proximos ſuos ita furunt iracundia, vt leuiſsimis de cauſis ipſos interficere parui pendant. Quotus enim quiſque eſt, qui vel vnico contumeliæ verbo irritatus non ſtatim in fratrem inſurgat, ipſumque de medio tollat? Horret animus, meminiſſe tot homicidiorum, quæ paſsim vbique, & impune perpetrantur. Ita vt iam nedum viæ publicæ, & deſerta loca; ſed vici etiã & compita humano ſanguine inhumaniter effuſo, redundent: cuius vehementibus clamoribus incitatus Dominus Deus vltionum; ne toti orbi excidium inferat, valde nobis eſt pertimeſcendum. Deberent ſaltem homines, ſi nec ingenitæ humanitatis inſtinctu, nec Dei Optimi Maximi timore permouentur, pudore maximo affici, quod à feris, rationis, & humanitatis expertibus, humanitate ſuperentur. Qua de re ſic Iuuenalis, Satyra. 15.

Sed iam ſerpentum maior concordia parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica Tigris agit rabida cum Tigride pacem
Perpetuam. ſæuis inter ſe conuenit vrſis.
Aſt homini ferrum letale incunde nefanda
Produxiſſe parum eſt, cum raſtra, & ſarcula tantum.
Aſſueti coquere, & marris, ac vomere laſsi
Neſcierint primi gladios excudere fabri.
Aſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi: Quid diceret ergo,

Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret Pythagoras?

¶ Plautus in Asin. Lupus est homo homini, nō homo, qui qualis sit nōn nouit.

¶ Non est ambigendum, quin aduersus impios, & efferatos homines, in extremo iudicij die, insurrecturi sint, viri isti, eximia in Ionam humanitate, & mansuetudine conspicui, qui exertis omnino viribus, incredibilique conatu, in remos incumbunt, vt nauim ad littus appellant, ibique Ionam salvum, & illæsum dimittant Hoc maximū studium indicat Hebraicumidioma: *Et foderunt viri*, HHATHAR, enim proprie significat, fodere, penetrare, perforare; Quasi nautæ, mare ipsum perforare niterētur. Quod varie exponitur. Alij enim existimant hunc esse sensum: Proiectis anchoris, maris profundum fodiebant, vt tutius possent, in terram, nauim reducere. Alij sic interpretātur: Foderunt viri, scilicet, in suis cogitationibus, hoc est, inuestigauerunt, scrutatique sunt causas, & consilia, vt possent educere nauem in aridam. Sed melius R. Dauid in lib. Radic. Et foderunt viri, scilicet, remis, hoc est, remigauerunt, vt optime vertit D. Hierony. Remigio enim, quod vi maxima, & nisu exercetur, mare sulcantes, infringere, atque perfodere videbantur. LXX. *Et conabantur viri, vt reuerterentur ad terram.* Vide Pagnin. in Thesauro.

¶ Sed cum nulla sit vis, nulla ars, nullum consiliū, quod diuinæ valeat obniti potentiæ, nihil ipsis proderant studia, & conatus: Quin potius, maiori æquoris impetu vrgebantur, atque in altum à littore longissime propellebantur: Hoc enim significant verba; *Et non valebant, quia mare ibat, & intumescebat super eos*, ita, vt fremitu,

mitu,& furore ſuo,quaſi quodã clamore,& ſigno apertiſsimo,diuinam eis voluntatem indicaret. Immenſa namque Dei bonitas, maiora,ac præſtantiora prodigia edere decreuerat, ad ſuam pietatẽ, potentiamq; oſtendendam: Cum non aliter ſtatuerit,ſedandam fore tempeſtatem, quã proiecto in mare Iona. Quo à Ceto deuorato, & poſt triduum viuo, & illæſo euomito, nihil fieri poterat, ſiue ad Dei magnitudinem cognoſcendam, admirabilius; ſiue ad Ionæ, & Niniuitarum ſalutem procurandam, illuſtrius; ſiue ad Chriſti Seruatoris noſtri à mortuis reſurgentis, myſterium referendum, luculentius. Vt poſtea dicturi ſumus.

¶ ET clamauerunt ad Dominum,& dixerũt: Quæſumus Domine,ne pereamus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocẽtem, quia tu Domine ſicut voluiſti, feciſti.)

CVM omnem ſuam contentionem,ſtudium,diligentiã, atque cõſilia,nihil ſibi prodeſſe perſpicerent; diuinæ voluntati parendum,& communi ſaluti, vnius viri interitu, conſulendum eſſe, ſtatuerunt. Nihilominus tamen,quia ipſum vnice diligebant, ab eiuſque cæde mirum in modum abhorrebant; adhuc animi pendent; hærent, cunctantur, & ad preces confugiunt; orantq; Dominum,intimo cordis affectu, atque ingẽti clamore,& lachrymis, in hunc modum: O Deus Omnipotens, Domine Cœli, maris terræque conditor, obſecramus Tuam Maieſtatem, vt quandoquidem virum hunc Vatem tuum perire, ſuæq; inobedientiæ pœnas luere, decreuiſti: ne quæſumus,

cum id manibus noſtris exequendum ſit, nobis homicidij, aut ſanguinis innocentis reatum, velis aſcribere: ſcis enim nos, nequaquã id perpetraturos eſſe, niſi tibi morem gereremus. *Ne pereamus in anima viri iſtius,*) id eſt, propter vitam viri iſtius. Anima hic, vt in multis alijs Sacræ Scripturæ locis, accipitur pro vita; quæ in anima tamquam in cauſa, & origine conſiſtit. Admirabilis ſanè eſt in viris iſtis animi candor, & æquanimitas, qui adhuc Ionam, quaſi innoxium, & nihil mali promeritum, reputant dum dicunt: *Ne des ſuper nos ſanguinem innocentem.*) Quaſi dicant: Quamquam ipſum puniendum eſſe, multis argumentis demonſtraueris, noſtrum tamen non eſt, eum dijudicare, aut ſceleris cõdemnare qui eãdem cum ipſo naturã fragilem, & caducam ſortiti ſumus: ſed tuæ competit infinitæ magnitudini, & potentiæ, vel illum iam facti pœnitentem liberare; vel nos, dum inipſo occidendo tibi ſubſeruimus, cuiuſuis reatus immunes reddere.

Anima pro vita.

¶ Hierony. Grandis vectorum fides: periclitantur ipſi, & pro alterius anima deprecantur: ſciunt enim peiorem mortẽ peccati eſſe, quã vitę. Et ne des, inquiunt, ſuper nos ſanguinem innocentem. Conteſtantur Dominum, vt quodcumque facturi ſunt, nõ ſibi reputetur: & quodammodo dicunt, nolumus interficere prophetam tuum, ſed iram tuam, & ipſe confeſſus eſt, & mare loquitur, Quia tu Domine ſicut voluiſti feciſti, voluntas tua expletur per noſtras manus.] Ex hac non ſatis laudanda manſuetudine, & charitate, conſtat apertiſsime, quanta ſint vituperatione, & pœna digni, qui maligno detrahendi ſtudio, aliorum geſtis, & moribus inſidiantes, peruerſe calumniãtur, ſuggillant, & turpitudinis notam inurunt: Tum etiam iudices, & Magiſtratus, qui in iudicijs, & ſententijs ferendis, adeo ſunt præcipites

cipitès, vt fœpe reos, cauſa non ſatis cognita, & probata, capitis ſupplicio addicant. Cum iſti nautæ, Ionã (quem iure, & merito morti tradere poſſent) adhuc nõ audent attingere; ſed ipſius vitam magni æſtimãtes, ad Deum confugiunt, preces largiſsime effundunt, omnẽ moram aucupantur, & nihil intentatum relinquunt, ſi quoquomodo virum liberare valeant.

¶ ET tulerunt Ionam, & miſerunt in mare, & ſtetit mare á feruore ſuo.)

NON ait irruiſſe in Ionam, neq; impetu facto ipſum impuliſſe, ac in mare deturbaſſe; ſed blande tractantes in altum ſuſtuliſſe. Hoc enim indicat Hebraicè: *Et extulerunt Ionam.* NASA enim ſignificat præcipue, eleuare, exaltare, ſuſtentare, honorare, parcere. Quaſi hoc loco nautæ Ionam extollentes, in vlnis ſuſtentauerint; & hoc etiam modo honorare concupiuerint, indicantes, quam coacte in eius cædem coirẽt. Ita Hierony. ait: Non dixit arripuerunt, non ait inuaſerunt, ſed tulerunt, quaſi cum obſequio, & honore portantes.] Quod quidem manifeſtius fit, ſi verum eſt, quod annotat Bene. Arias Montanus ex antiquiſsimorum Hebræorum obſeruatione, poſt illa verba: Et tulerunt Ionam) eſſe ponendam diſiunctionem, ſeu notulam, quæ ſententiam integram claudit, & perfectam orationis periodum oſtendit. Quo innuitur, illum in ſublime efferentes, tentandi gratia, adhuc moram aliquam feciſſe, reique exitum expectaſſe. Mare autem, quod hactenus ſemper vehemẽtius intumuerat, perinde, ac ſi hominem expeteret, nõ nihil conquieviſſe. Hac diuini conſilij ſignificatione obſeruata, ac certa ſedandæ tempeſtatis ſpe concepta, tandem in mare proiecisse.

Vide Theſaurum ling. San.

Refert etiam idem Mõtanus, quod Eleazarus antiquissimus diuinorum librorum interpres, qui circa Christi Domini ætatem floruit, in quodam tractatu, memoriæ prodidit, quintũ hoc periculum à nautis factum fuisse, quo diuini Numinis decretum diligẽtius inquireretur. Nam post priuatas deorũ inuocationes, post merciũ,& onerum iacturam factam, post eductas sortes, post orationem,& deprecationem cõmuniter susceptam, illud postremum, sæpius tentauerunt; vt sublatum virum, in mare vsque ad collum demergerent, rursusque ad se se in nauim reciperent: Euenisse ait, vt quoties demissus esset, mare conquiescere; cum autem receptus, iterum fremere,& intumescere, videretur. Quo signo, diuinæ voluntatis sæpius certiores facti, tãdem in mare demersum, penitus reliquere.

SED poterit aliquis hoc loco curiosius inquirire: An Ionas fuerit nudus proiectus in mare? Ego quidem respondeꝝ non fuisse illi vestes detractas, sed tunicatum, & calceatum, vt in naui erat pelago traditum. Non desunt cõiecturæ hoc suadentes. Prima, quia nautæ in hac demersione, non iam Ionæ salutem, & in columitatem, vt huc vsq; quærebant, sed mortem, quã Deo placere certissimis argumentis, (vt diximus) comprobauerant,& maris tranquillitatem, cõmunemq; salutem, nõ nisi interempto Iona se consequi posse arbitrabantur, nam cum naufragi homines nudos se mari cõmittunt, sperant natando posse mortem effugere, & idcirco se vestibus exuunt. At vero Ionas, cum nulla iam esset euadendi spes, neque occasio, non fuit vestimentis expoliatus. Secunda vt magis in hoc eluceret diuinæ clementiæ, & potestatis magnitudo, dum Ionas à

Ceto

Ceto deuoratus, non modo nullum accepit in corpore, aut salute sua nocumentum, sed neque in vestibus. Instar trium puerorum, qui Regis Nabuchodonosoris iussu, fuerunt in ardentissimam fornacem coniecti: *Cum bracceis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus*, & tamen ipsos, diuina protegente clementia, *Non tetigit omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Ita sane cum Iona actum fuit, qui in vastissimi piscis stomachum, quasi in ardentem fornacem detrusus, vbi necessario consumendus erat, nō modo viuus, & absque vllo corporis sui damno, sed etiam absque aliquo vestium detrimento, fuit conseruatus. Tertia, quia cum à Ceto fuerit in desertum continentis littus, euomitus, vbi nulla parandi sibi vestes copia suppetebat, & inde iussus erat recta Niniuen proficisci; probabile fit cum suismet vestibus ex Ceti ventre prodijsse; nam indecens, & parum honestum videtur, quod nudus Niniuen ingressus vaticinaretur. Neque dicendum videtur, ab aliquo Angelo vestes ipsi fuisse allatas, hoc enim novum esset miraculum comminisci. *Danielis. 3. 21. Et nu. 50*

¶ ET stetit mare à feruore suo.

HAC etiam demonstratione repente, sedatæ tempestatis, diuinum cōsilium, & prouidentiam, manifestè cognouerunt. Nam cum cæteræ tempestates, quæ ventorum, & aliarum inferiorum causarum vi, & natura excitantur, paulatim decrescere, ac pedetentim, & tēporis decursu, in tranquillitatē mutari soleāt; hæc

non modo subito exorta, sed etiam repente sedata penitus, clarissimo fuit argumento, rem omnem diuino consilio fuisse confectam. Quod autem mare non paulatim, sed subito quieuerit, indicat verbum Hebraicum GHAMAD, quod significat, stare, sistere se, subsistere, manere, firmum esse, vnde GHAMVD, columna, firmitudo, & firmamẽtum: Contrarium verbo MAGHAD, litteris transpositis, quod significat, vacillare, fluctuare, mouere se. Mare si quidem, quod iracundi, & furiosi more, in nauim inuehebatur, adeò repente in ipso æstus feruore, constitit, vt quasi columna immobilis firmatum fuerit, nullo præteriti turbinis vestigio relicto. Quo nihil poterat fieri ad Dei propositũ cognoscendum, euidentius.

Homi de Iona prophetæ to. 1. pagina 1413.

¶ D. Chrysostom. de hac exactissima charitate, & mansuetudine differens, affirmat, eam, nautarum cordibus, à Deo Opt. Max. infusam fuisse, ad Ionam corrigendum, eiusque animum agrestem valde, atque asperum leniendum, & in studium procurandæ Niniuitarum salutis, inflammandum. Sed audiamus Chrysost. Et hæc omnia diuina prouidentia gerebantur, vt propheta pius, & mansuetus existeret: & ita eum Deus rerum corrigebat documentis, tamquam si ad ipsum clamitaret, & diceret: humanitatem imitare nautarum; qui nec vnius animæ salutem despiciunt, nec vnius corporis curam prætereunt. Quantum autem ad tuam sollicitudinem pertinet, vniuersa ciuitas, infinitis hominibus ampliata, morti donata est. Et isti quidem calamitatis suæ reum sorte monstratum, nõ palsim precipitare voluerunt: tu autem Niniuitas prodidisti; quorum nulla fueras læsione laceratus. Et tu quidem mea præceptione contempta, tantam plebem prædicatione, sanare noluisti: isti autem, nullo iubente, conatibus omnibus elabo-

elaborant, à mortis te sententia liberare.

¶ ET timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.)

POST hoc magnum repentinæ tranquillitatis miraculum, nautæ, abiecto penitus Idolorū cultu, tactis religione animis, Deo Opt. Max. (cuius ineffabile nomē IEHOVAH, iam à Iona edocti, prædicant, & acclamant) in gratiarum actionē, holocausta, & victimas obtulerunt; atque præterea vota plurima nuncupauerunt: Id enim significat verbum, *Timuerunt*. Quod, vt superius diximus, cum ad res diuinas refertur; pietatis, & religionis opera, complectitur. Pijssimo siquidem, & vehementissimo timoris, & reuerentiæ affectu, erga summum Numen (cuius tantam, tamque præsentem virtutem, & prouidentiam experiebantur) ipsum placare, sibique conciliare, non solum verbis, & oratione, sed etiam rebus, & pietatis operibus, studuerunt. Nam & legitima sacrificia immolarūt, & alia quamplurima vouerunt, quæ deinceps peracta nauigatione, persoluisse, non est ambigendum. An vero hæc sacrificia in naui fecerint, incertum est. D. Hieronym. Theodor. Theophy. & alij existimant, nō potuisse eos antequam in terram, seu portum peruenirēt, immolare: omnibus enim sarcinis, & mercibus, ad nauem alleuandam, in mare proiectis, vt supra vidimus, nō est verosimile, eos animalia, siue alia huiusmodi ad sacrificia peragēda habuisse. Fauet huic opinioni Chaldæus interpres sic explicās: *Et dixerunt se sacrificia facturos Domino*. Sed quamquam hæc sententia multum habeat

habeat auctoritatis, mihi tamen probabile maximè fit, ſtatim ſedata tempeſtate, & in naui ipſa, fuiſſe hoſtias immolatas. Nam præterquamquod id videtur Sacra Scriptura innuere; cum prius mentionem faciat de ſacrificijs, quam votis; quis dixerit, obſecro, Nautas in iactura facienda, nihil ſibi ad victum neceſſarium reliquiſſe? Sed animantia omnia, & quicquid habebant panis, vini, & id genus alia, quibus etiam dijs litare conſueuerant, in pelagus proieciſſe? Niſi velimus, eos tàm à ratione, & mente alienos facere, vt ſalute, & vita temere deſperata, ſe morti conſulto obijcere decreuerint. Quod nefas eſſet affirmare; vtpote Sacræ Scripturæ aduerſum: cum ex ipſa conſtet liquido, tantam in viris iſtis enituiſſe temperantiam, prudentiam, pietatem, quantam nullis verbis ſatis laudare valeamus. Quamobrē arbitror vtrumque eos præſtitiſſe, videlicet, & ad præſens, pro loci, & temporis opportunitate, aliquot ſacrificia obtuliſſe; & plura atque maiora deinceps, cū in patriam remearent ſe facturos recepiſſe, & vouiſſe. Videñ hic, (ait Theophyl.) diuinam diſpenſationem, atque conſilium? fugit Ionas, vt non ſeruentur Niniuitæ, & ecce ſeruantur nautici, deiñ, & ipſe; & exuberantius bonum perficitur. Sic, & noſtris diuina prouidentia delictis ad bonum vſa eſt.]

CAPVT

Caput Secundum.

ET præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis, & dixit:

Clamaui de tribulatione mea ad Dominũ, & exaudiuit vocem meam.

Et proieciſti me in profundũ in corde maris, & flumen circũdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

Et ego dixi: Abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.

Circumdederunt me aquæ vſque ad animã: abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

Ad extrema montium deſcendi: terræ vectes concluſerunt me in æternum: & ſubleuabis de corruptione vitã meam, Domine Deus meus.

Cum anguſtiaretur in me anima mea, Dñi

recor-

recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumq; voui, reddam pro salute Dño.

Et dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.

ARGVMENTVM CAP. II.

PROIECTVS Ionas in mare, ab immani pisce, Dei iussu, deuoratur: in cuius aluo viuus, & illæsus persistens, Dominum orat, ipsiq; gratias agit, ob accepta beneficia: ac spem concipiens se ex tanto periculo liberatum iri, vota nuncupat. Demum post tres dies, viuus à Ceto in littus euomitur.

COMMENTARIVS.

¶ ET præparauit Dominus piscem grādem, vt deglutiret Ionam.)

NEMO est, qui attentè perpēdens, ingentia hæc prodigia, & beneficia, quæ in Ionā contulit Deus Opt. Max. ipsius iustitiæ, potentiæ, sapientiæ, & miserationis magnitudinē, non vehementer admiretur, extollat, prædicet, atque cum Paulo exclamet: *O Altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuesti-*

Rom. 11. 33.

inuestigabiles viæ eius ! Nam quis, quæso, est, qui diuini Numinis maiestatem non suspiciat, cum videat Ionæ, sæuissimis maris fluctibus impetito, ob idque à socijs obruto, præsto affuisse vastissimũ piscem, qui Dei nutu, ipsum deuorauit: & nec ardentissimo stomachi calore decoctum, consumpsit; nec fœdissimi loci angustia, & horrore confectum, præsertim, intercluso fere respirãdi aditu, interemit. Sed tamquam à Deo commissum depositum, ita fideliter, Deo Optim. Max. disponente, illæsum integrumque conseruauit, vt Ionas non conditionem, sed nauigiũ mutasse videretur. Deus si quidem, ita potentiæ, iustitiæ, sapientiæ, misericordiæ, ac longanimitatis suæ effecta temperauit, vt Ionas, & iustitia punitus, & potẽtia custoditus, & misẽricordia, per flagitij sui dolorem in Dei gratiam reuersus, ab æterno supplicio liberatus sit. Mirifice etiam diuina sapiẽtia in hoc eluxit facinore, cum apprehenderit sapientem in astutia sua, vt inquit Iob. 5. 13. Quam enim Ionas viã iniuerat ad Dei præceptum violandum, ea vtitur sapientissimus Dñs, ad suum omnimode exequendũ cõsilium; dum nauis, nautæ, venti, mare, pisces, ac elementa omnia concurrunt, tamquam Dei ministri, ad fugitivum prophetam apprehendendum, cogendumq; diuinæ parere voluntati. Qua de re D. Gregorius lib. moral. 6. cap. 22. elegantissime in hunc modum philosophatur: Prudenter siquidem Ionas sapere voluit; cum ad prædicandam Niniuitarum pœnitẽtiam missus, quia electis gentibus, Iudæam deserere timuit, prædicationis officium implere recusauit: nauim petijt: fugere Tharsis elegit: sed protinus tempestas exoritur: sors mittitur; vt videlicet cognoscatur, cuius culpa mare turbetur: Ionas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur: Cete sorbente, repente deuoratur: atque illuc *Iob. 5. 13*

illuc gestante bellua peruenit, quo ire sponte cõtempsit. Ecce fugitivum, Dei tempestas inuenit: sors ligat, mare suscipit, bellua includit, & quia auctori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Iubente Deo, ministrare homo prophetiam noluit, aspirante Deo, bellua prophetam vomuit: comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in vsum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit.]

¶ Inter alia Ethnicæ antiquitatis prodigia, memoriæ proditum est. Arionem quemdam cytharædum, & poetam lyricum præstantissimum, cum ex Italia Corinthum, diuitijs onustus, nauigaret; videretq; sibi à nautis, opibus suis, inhiantibus, exitium parari, ab ijsdem districto iam gladio, mortem inferre volentibus, non nihil spatij postulasse; quo veluti cygnus moriturus, suas sibi exequias decantaret. Quod cum impetrasset, stans celsa in puppi, cytharamque pulsans, excellens carmen, quod Orthyum vocant, altissima voce, dijs marinis cecinit. Quo peracto se in mare præcipitem dedit, atque à delphino statim dorso exceptus, ad Tænarum Laconiæ promontorium, est peruectus. Refert hanc historiam Herodot. lib. 1. Plutarch. in Symposio septem sapientum. Aulus Gel. lib. 16. cap. 19. Plin. natur. hist. lib. 9. cap. 8. Vnde occasionem sumpsit Andr. Alciat. in suis Emblẽmatibus, ad auarorum hominum crudelitatem depingendam.

Andr. Alcia. Emb. 89.

Delphino insidens vada cærula sulcat Arion
Hoc que aures mulcet; frænat, & ora sono;
Quam sit auari hominis, non tam mens dira ferarum est.
Quique viris rapimur, piscibus eripimur.

¶ Me-

¶ Meminit etiam huius historiæ Ouid. 2. lib. Fastorum, eamque elegantissimis versibus in hunc modum describit:

¶ *Nomen Arionium siculas impleuerat vrbes,*
Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens, puppim conscendit Arion,
Atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Forsitan, infœlix, ventos, vndasque timebas,
At tibi naue tua tutius æquor erat.
Namque gubernator districto constitit ense,
Cæteraque armata conscia turba manu,
Ille metu pauidus mortem non deprecor, inquit,
Sed liceat sumpta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentq; moram; capit ille coronã,
Qua posset crines, Phebe, decere tuos.
Induit & Tyrio distinctam murice pallam,
Reddidit icta suos pollice chorda sonos:
Flebilibus numeris veluti canentia, dura
Traiectus penna, tempora cantat, Olor.
Protinus in medias ornatus desilit vndas,
Spargitur insulsa cærula puppis, aqua
Inde (fide maius) tergo Delphina recuruo,
Se, memorant, oneri supposuisse nouo.
Ille sedet, Cytharamq; tenet, pretiumq; vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dÿ pia facta vident: astris delphina recepit
Iuppiter, & stellas iussit habere nouem.

¶ Plinius in eo, quem diximus loco, huius historiæ fidei, nihil sane detrahit: cum sit Delphinus, nõ modo homini amicissimus, sed etiam musicæ suauitate, magnopere capiatur. Mulcetur enim, inquit ille, symphoniæ *Plin. lib. 9. cap. 8.*

niæ cantu, & præcipuè hydrauli sono; hominem non expauescit, vt alienum, obuiam nauigijs venit: alludit exultans; certat etiã, & quamuis plena præterit vela. ¶ Quin etiam proditum est litterarum monumentis (eodem Plinio teste) sæpissime Delphinos adeò cicuratos pueris indulsisse; vt eos tergo impositos, & per lõgũ maris tractum deuectos, in terrã saluos, & incolumes retulerit. Quæ de re plurima ab eodẽ Plin. exempla cõmemorantur. Hanc etiam historiã fusè narrat Rõdoletus.

De Delphinis vide etiam Isido. lib. 10. Etym.

Guilielm. Rondole. in suo tractatu de piscib. li. 16. c. 8.

VERVM equidem, ipsam (si non est prorsus fabulosa, & à Poetis ficta) ad hanc verisimam, quam præ manibus habemus, de Iona historiam, allusisse existimarim. Quemadmodum, & quam de fortissimo Hercule mirifice celebrarunt. (Quem vt Theoph. refert) fabulantur à Balena fuisse absorptum, & tandem vivum euomitum; nudatũ tamen pilis præ magno Cetacci stomachi calore. Quod, quis nõ videt ex sacra Ionæ historia desumptisse, atque in suum Herculem falsissime transtulisse? Plurima enim sunt, quæ Ethnici auctores, ex diuinarum Scripturarum oraculis hausta, & deinceps multis errorum tenebris inuoluta, ad deorum suorum falsitatem, seu inanis Philosophiæ doctrinam, accõmodarunt. Quod inter innumera, quæ afferre possemus exempla, videre est apud Ouid. in libris Metamor. dum differit de mundi opificio, de totius humani generis per cataclysmum interitu, de noua eiusdẽ propagatione, alijsque id genus multis, de quibus fusè tractat Iosephus Stephanus Episcopus Oriolanus.

Theophy. in Ionam Cap. 2.

Iosephus. Steph. in com. sup. cap. 3. 1. Machab.

¶ Ionam à pisce facili negotio potuisse deuorari, nõ erit creditu difficile ei, qui marinarum belluarum magnitudinẽ perspectam habuerit. Quã innuit Sacra Scriptura, cum ait Genes. 1. 20. *Creauitq; Deus Cete grandia.* Quamquam vox Hebræa THANNINIM, propriè

Genes. 1. 20.

significat

significat Dracones, quo etiam nomine terrestres Serpentes,& Dracones, Sacræ litteræ appellant, eo quod Ceti,& maximi pisces, terrestribus Draconibus, atque Serpentibus,quam simillimi esse videantur. Cum vero terrestrium animantiũ, præsertim Draconũ,& Serpentium incredibilis pene sit, in aliquibus regionibus corporis moles(vt ex probatis constat auctoribus.) A marinis tamẽ longissimè superari exploratũ est. Vt merito de ipsorũ magnitudine Sacra Scriptura specialem mentionẽ fecerit. D. Basil. sic ait: Fecit Deus Cete magna, nõ quia Squilla,& Halece maiora sũt Cete,ideo magna sunt dicta; sed quia maximis mole corporis montibus, æquantur. Nam cum ad summã aquæ superficiẽ enatarint, instar insularũ sœpe numero apparent.] S. etiam Isidor. Cete,inquit, dicta *Tokitos Ketakiti*, ob immanitatem,sunt enim ingentia genera belluarum,& æqualia montium corpora,qualis Cetus excepit Ionã, cuius alvus tãtæ magnitudinis fuit, vt instar obtineret inferni, dicente Propheta: *Exaudiuit me de ventre inferi.* Plin. tradit: Balenas maris Indici,quaternũ iugerum esse,Pistres, ducenũm cubitorũ: Anguillas verò apud Gangẽ fluvium,tricenũm pedũ. Mirabilia etiam scribit c. 4. 5. & 6. eiusdẽ libri,& lib. 32. c. 1. Albertus Magn. Cetus (inquit) est piscis maior,cuius fœmina Balena est,& est multorũ generis: alij hirsuti,& sunt maximi: alij planæ pellis,& minores; maiorũ fouea oculi vnius,capit quin decim homines,& aliquando viginti: os habet magnũ; cum spirat,euomit multam aquã, vt nauiculas impleat, & submergat: caudã bifurcatam habet, cuius latitudo est plusquã viginti quatuor pedum: expertum est hunc piscem diuisum,esse quas trecentorum curruum,tam in carne, quam in ossibus.] Hæc Albert. Magnus.

Vid. Olaũ Magnum lib. 5. c. 22. & li. 21. c. 43. & seqq.

Homil. 6. in Exam.

Isidor. li. 10. Etym.

Plin. lib. 9. cap. 3.

Albertus Magn. de animali. lib. 24. Cap. 1.

¶ Cuius autem speciei, & formæ fuerit piscis, qui

Ionam deglutiuit, incertum est, nec ex Sacra Scriptura constat. Quæ hoc loco nihil aliud asserit, quam fuisse piscem grandem. Magnorũ autem piscium species sunt quamplurimæ, vt Balenæ, Phiseteres, Pristes, Tritones, Nereides, Elephanti, Orcæ, Phocæ, Rotæ, & alia id genus monstra. Quæ omnia, Cete, generali nomine appellantur. Et propterea LXX. vertũt: *Et præcepit Dñs Ceto magno.* Ac Ioseph. lib. 9. Antiq. cap. 11. eumdem piscem, Cetum appellat. Quin & Christus Dñs in Euan
Matt. 12 gelio, eodẽ vtitur nomine: *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti*
40. *tribus diebus, & tribus noctibus, &c.* Quamobrem errare mihi videntur, qui affirmant piscem hunc, Balenam fuisse. Nam id nullus antiquorum Patrum (præter vnũ Theoph.) asseruit: præsertim cum sint multi pisces, Balenæ æquales, vel etiam maiores. Ipsaque (si credendũ est ijs, qui se ita animaduertisse produnt) tam angusto sit gutture, vt non nisi paruos pisces deglutire valeat. Quod autem vulgo in ore omnium, etiam concionatorum, Balenę nomen versetur, cum de Iona tractandi se offert occasio, hanc esse causam arbitror, quod ex maximis piscibus Balena notior est: adeò, vt quemcumq; immanem piscem, Balenam vocitare vulgus soleat. Guilielmus Rõdoletus Medicinæ artis professor, lib. 13. de piscibus cap. 12. censet, Ionam à pisce, nomine Lamia, fuisse absortum. Et vt melius Rondoleti sentẽtia videatur; libet eius verba subijcere: Lamia, inquit, piscis est galeorum omnium maximus; Nam aliquando ad tantam magnitudinem accrescit, vt currui imposita, vix à duobus equis vehi possit. Quare euiscerata, & infrusta dissecta, curribus duobus, aliquando imponenda fuit. Vidimus mediocrem Lamiam mille librarum pondere. Capite est, dorsoque latissimis. Cauda si reliqui corporis magnitudinem spectes,

minus

minus crassa, spissaque in lateribus, compressa, pinnis duabus constans, nõ procul à cauda aliæ duæ sunt, pinnulæ, vna inferior, altera superior; ad branchias, & ad podicem aliæ binæ: in medio fere dorso alia. Piscis est carniuorus, voracissimus, & anthropophagus, cadauera enim mortuorum etiam integra, vorat. Quod ex dissectione compertũ est. Massiliæ enim, & Nicææ aliquando captæ sunt lamiæ, in quarum ventriculo homo loricatus, inuentus est. Vidi enim in Santonico littore lamiam, cuius os gulaque tanta erat vastitate, vt hominem etiam obesum capere posset. Magnarum itaq; lamiarum os, si hians seruetur, reliquo corpore cõtecto, canes ventriculũ facilè subeant, piscium reliquias voraturi. Quæ cum accuratius cõsiderarem, mihi in mẽtem venit, lamiam fuisse, in quam ingressus est Ionas, illicq; triduo diuina prouidentia cõseruatus, tandemq; incolumis eiectus. Quod Sacræ Bibliorum scripturæ nullo modo repugnat. Legitur enim Ionas in ventre magni piscis, siue in ventre Ceti fuisse, quod nomen generis est, quo grandes pisces comprehenduntur. ¶ Huc vsq; Rondoletus. Cuius opinio cõiectura potius, quam probabilitate nititur. Hoc autem pro comperto habuerim, piscẽ eiusmodi fuisse, qui cõmode gutture, & aluo Ionã capere, & retinere posset. Nam tametsi Deus Opt. Max. pro sua infinita potẽtia; *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter* (vt loquitur Sapiens) nihilominus tamen (quæ sua est ineffabilis sapientia) omnia disponit suauiter, nullã naturæ vim inferens, nec absque causa miracula multiplicans, *Quamobrem* ad hoc portentum (quo potentiã ac sapiẽtiam suã voluit ostentare) eum piscẽ destinasse credendũ est, à quo absq; miraculo, & Ionas absorberi, & in vẽtre cõcludi valuisset. Vt significatur illis verbis: *Et præparauit Dũs piscem magnum*: Hoc est, eum elegit

Sap. 8. 1.

piscé, qui suapte natura, esset adid facinus aptissimus. Verbum siquidem, MANAH, apud Hebræos in coniugatione PIHEL, significat, constituere, præparare, decernere, destinare, deputare, donare, ita vt sit verbum dispositionis, atque prouidæ ordinationis: hoc itaque loco denotat, non quemcumque piscem ad Ionæ deuorationem, Dominum deputasse, & ordinasse, sed cõmodum, & idoneum. Miraculi vero magnitudo, conspicitur in eo, quod cum Ionas in ventre Ceti statim, ingenito belluini stomachi calore, esset consumendus, diuina virtute vivus, & illæsus triduo permansit; perinde, ac si in iucundo conclaui, seu cubiculo, degeret. Qua in re non minus præclare cum Iona actum est, quam cum pueris illis sanctissimis in ardẽtissimum Babyloniæ fornacé conjectis, quos (vt facer Textus eloquitur) non tetigit omnino ignis, neque contristauit, neque quicquam molestiæ intulit: sed per fornacem, quasi per amœnissimum pratum, deambulantes, Dei magnalia concinebant.

Danie. 3. 50.

¶ An autem Ionam, simul atque in mare deturbatus est, Cetus deglutierit, dubium est. D. Hieron. Theod. Theoph. Rupertus, affirmantem sententiam amplectuntur, tamquam magis probabilem, Sacræque Scripturæ consentaneam. Tum quia si non statim fuit deuoratus, sed aliquod tempus in luctando cum insanis fluctibus consumpsit, id sacra Historia nõ subticuisset. Tum etiã, quia cum ipsa dicat, piscem grãdem à Domino præparatum fuisse, apertissimè videtur indicare, Cetum iuxta nauim constitisse, ac veluti expectasse Ionæ proiectionem, quem hianti ore statim excepit. Huic quoque opinioni adhæret D. Augustin. cuius hæc sunt verba: Sicut ergo Ionas ex naui in alvum Ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, seu in mortis profundum.

D. Hieron. in Ionam

D. Augu. epist. 49. in postrema quæst.

Idem

Idem etiam ſenſit Seuerus Sulpitius lib. 1. ſacræ Hiſto. prope finem. Verbum enim, *præparauit*, ſæpe in ſacris litteris ad ea refertur, quæ ſubito ad aliquem vſum deſerviunt, vt cap. 4. *Et præparauit Dominus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius.* Ideſt, ſubito naſci fecit, & adoleſcere hederã, quæ vmbra ſua Ionam ab æſtu nimio, defenderet. Paulus de Palacios contrariam tuetur ſententiam, eamq; confirmat verbis Ionæ in oratione ſua ad Deum dicentis: *Circumdederunt me aquæ vſque ad animam, abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum, ad extrema montium deſcendi, &c.* Quæ omnia Ionam protuliſſe, antequam à Ceto inuaderetur, exiſtimat hic auctor: ſed ea omnia Sancti Patres, ad Ionam in vẽtre piſcis incluſum, acõmodant; vt protinus videbimus.

Seue. Sulpit. lib. 1. Sacr. Hiſtoria. Ionæ. 4.

NON erit inutile, neque ab inſtituto alienum, hoc loco inquirere, ob quam cauſam, cum Omnipotens Dominus decreuerit marinæ belluæ miniſterio, & opera, Ionam é tanto diſcrimine eripere, nõ illum piſcis dorſo excipi, & in littus deuehi voluerit; vt præter id, quod de Arione ſuperius diximus, narrat Simeon Metaphraſ. B. Martinianum Anachoretam, ex quodam (vbi degebat) ſcopulo in maris medio ſito, Delphini dorſo, Deo ſic diſponente, ad littus vſque fuiſſe, deductum. Id enim videri poterat ad diuinæ potentiæ vim patefaciendam congruentius; præſertim nautis, iam in Dei timorem, & religionem valde propenſis; qui eximio viſo miraculo, vehemẽtius in diuinum cultum inflammarentur: vel ſaltem æquum apparet, vt Ionæ, mare ſe calcabile exhibuiſſet, quemadmodum pluribus virtute præſtantibus viris contigiſſe, ſacri auctores tradiderunt. D. enim Petrus Apoſtolorum omnium Princeps,

Vid. apud Sur. tom. 1. 13. die Februarij.

ceps,ac Coriphæus, cum è nauigio, in quo erat, Christum Seruatorem nostrum pedibus supra mare incedẽtem cõspexisset,ab eo humili prece impetrauit; vt ipse similiter,mare perambulans,ad eum pergeret. De Beato Raymundo admirandæ sanctitatis viro, ex Ordine Prædicatorum, prodigium illud æterna memoria dignissimum, litterarũ monimentis consignatũ est; Quod cum ex Maioricarum insula, Barchinonem illi necessario traijciendum esset,nullaque esset nauigij,ob Regis interdictum, copia. Tandem,tentatis omnibus,eximia in Deum fide suffultus, quo amictus erat pallio, mare constrauit, ipsique intrepidè insidens, Barchinonem, vsque tutius, ac citius, quam si instructissima triremi veheretur, transmigrauit. Quod etiam de S. Francisco Paulensi narratur in eius vita. S. Birinus Episcopus, & cõfessor (vt in eius vita apud Surium scribitur) cum ab Honorio Summo Pontifice ad prædicãdum Anglis directus esset, naui iam conscensa, & multo maris spatio emensо, meminit se pallam, qua ab Honorio ad sacrafacienda donatus fuerat, in littore reliquisse: cumq; obsecrasset nautas, vt ad terram nauim reducerent, & impetrare non valuisset; demum signo se Crucis muniens, Deique auxilium implorans, in mare disiluit, ac per illud incedens, ad littus appulit, acceptaque palla in nauim,eodem modo siccis pedibus, reuersus est, tãta cum sociorum admiratione,& stupore, vt confestim ad pedes ipsius prouoluti, sacro Baptismatis lauacro lustrari (erant enim pagani) obnixe postularent.

Sur. tom. 6. die 3. Decemb.

20.

THYRSVM etiam martyrem, scribit Simeon Metaphrast. crudelissimi tyranni iussu, sacco inclusum, & cõsutum in profundum maris pelagus fuisse proiectum, quem cœlestes Angeli è sacco erutum per maris

Apud Surium, to. 6. 14. Decembris.

maris vndas, ſiccis pedibus, ambulantem (quo patérius eſſet miraculum) ad littus vſque comitati ſunt. Multa alia ſuppetunt huiuſmodi exempla ſanctorum hominũ, qui abſque periculo, Dei ope, mare pedibus calcauerunt. Vt quid igitur non hoc conceſſum Ionæ?

NOnnullas breuiter attingam cauſas, quæ facilè ex dictis colligi poſſent. Primo enim, & præcipuè ita fieri oportuit ad Sacroſancta admirandaque Paſſionis, mortis, ſepulturæ, deſcenſus ad inferos, & Reſurrectionis Chriſti myſteria adumbranda; quorum omnium inſignem typum, & expreſſam imaginem Ionas geſturus erat. Vt idem Chriſtus Seruator noſter cum Scribis, & Phariſæis expoſtulans affirmauit, apud Matthæum. cap. 12. 39. 40. *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ: ſicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Qua de re fuſius à nobis agendum erit, cum huius hiſtoriæ allegoriam perſequemur. Secundo, ad præſtantiorem diuinæ potentiæ, & bonitatis oſtenſionem: quæ quidem in eo eluxit diuinius, quod Ionã in maximas redactum angustias, & in ipſius (vt ita dicam) mortis faucibus conſtitutum, mirificè liberauerit; Quam ſi ſubito illũ ſine vlla diſcriminis, aut afflictionis perpeſsione, vel Ceti, vel Angeli miniſterio, in aridam ſalvum, & incolumem reduxiſſet. Nam (teſte Dauide) Adiutor eſt in opportunitatibus, in tribulatione. Tertio, ad maiorem Ionæ, & nautarum vtilitatem. Ionæ quidem; quia huiuſmodi afflictione excitatus, ad Deum converſus eſt: ſuumque crimen agnoſcens, diuinam clementiam fuſis lachrymis, ac precibus impetrauit. Ea enim eſt humanæ fragilitatis conditio,

Mat. 12.

Pſalm. 9. 10.

vt homines, à Deo per flagitia alieni, tribulationum, atque calamitatum ſtimulis maximè egeāt, ad Dei gratiam per pœnitentiā, aſſequendam. *Clamauerunt ad Dominum* (inquit Pſalmographus,) *Cum tribularentur.* Et alibi. *Cum occideret eos, quærebant eum, &c.* Nautis etiā multum commodi attulit, ad diuinæ iuſtitiæ ſęueritatē perfectè cognoſcendam, pertimeſcendamque, videntes Ionam, à piſce coram deuoratum, meritaſque ſui facinoris pœnas dātem: Si namque aliter cum ipſo, actum eſſet à Diuino Numine, facile in animum inducere potuiſſent, Ionam inſontem omnino, & criminis expertē in mare ab ipſis coniectum, omniaque hactenus obſeruata diuinæ voluntatis argumenta, fuiſſe futilia, & inania. Qua propter vehementi dolore, & mœſtitudine contabeſcerent. Quod ſi (vt ego ſuſpicor) tandem Ionam à Ceto ſalvum, & illæſum euomitum fuiſſe, reſciuerunt; non eſt dubitandum, quin Dei bonitate, & miſeratione exactè perſpecta, in eius dilectionem magnopere exarſerint.

Pſal. 106 13. *Pſal.* 77. 34.

¶ ET erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.)

HAEC per Synecdochen eſſe intelligēda, ſentio cum Franciſco Ribera, & alijs; Ionamque non perſtitiſſe in ventre Ceti, tribus diebus, & tribus noctibus integris: ſed quemadmodū numeramus triduum mortis Chriſti Seruatoris noſtri, cuius partem pro toto accipimus: vt figura (quoad poſſit) veritati reſpondeat, ſimiliſq; efficiatur. Hanc eamdem opinionem ſequitur Iſidor. Pelluſiota lib. 1. epiſt. 114. qui videndus eſt omnino. Tum etiam in 2. libro epiſt. 212. Quo autē pacto intelligendum ſit Chriſtum tribus

Paulus de Palacios.

Seue. Sulpit. lib. 1. Sac. Hiſt. hanc vi-

tribus diebus, & tribus noctibus, fuisse in corde terræ, deinceps de allegorico sensu agentes, explicaturi sumus.

detur sequi opinionem. Emman. Se in suis notat. ad hunc locũ

¶ ET orauit Ionas ad Dominũ Deum suum de ventre piscis.)

VIDENS se Ionas, nihil damni passum à pisce, sed eius ventris spatio, vsum pro cubiculo, agnouit omnino Dei sui immensam bonitatẽ, & miserationem, ad eumque toto corde conuersus, orauit ardentissimis votis; hoc enim significat Hebraicum verbum VAIITHPALEL, quod in vltima coniugatione, non quamcumq; orationem denotat, sed deprecationem vehemẽtissimam, & humillimam interpellationem; quæ non paucis verbis explicari queat. Ea sane diuinæ lucis spicula, mentem vatis in tenebris, & regione vmbræ mortis collocati, illustrasse puto, vt ad facinus suum detestandũ, Diuinamq; Maiestatem deprecandam toto animi affectu raperetur. Quare hoc loco. *Ad Dominum Deum suum.* Prius ponitur nomen Tetragrammaton, quod diuinæ misericordiæ magnificentiam præcipue cõmendat; Deinde collocatur nomen ELOHIM; Quod ad prouidentiam, & gubernationem Dei refertur. Illud vero: *De ventre piscis*, magnam emphasim habet, qua indicatur, cum locum, qui morti, & perditioni erat aptissimus, Ionæ fuisse, quasi Templum, & domum orationis ad Deum obsecrandum, & laudandum. Hoc sane erat portentum illud, quod tãtopere extollebat Regius Propheta Psal. 87. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam; & veritatem tuam in perditione? Numquid cognoscẽtur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra oblionis.*

Psal. 87. 12. 13. & 14.

¶ D. Athanaſius quæſt. 64. ad Antiochum videtur ſentire, Ionam in ventre Ceti animam exhalaſſe; dum illum affirmat, ter fuiſſe mortuum. Primo cũ puer eſſet, eumque Elias, vt fert vetus opinio, ad vitam reuocauit. Secũdo cum eſſet in ventre Ceti (vbi ait:) vita functus eſt. Et demum, cum ſupremũ obijt diem. Sed ego cen ſeo Athanaſium eſſe interpretandum; quod eius mẽte, Ionas vita fuerit defunctus in aluo Ceti, quoad loci conditionem, & hominum opinionem, niſi à Deo miraculoſe fuiſſet præſeruatus. Nam & locus neceſſario, naturaliter loquendo, ipſum erat necaturus; & nautæ videntes à piſce abſortum, tamquam mortuum reputarunt. Tum etiam, quia deuoratio illa, expreſſam quamdam mortis, ac ſepulturæ, habuit ſimilitudinem, qua Chriſti mors, ac vera ſepelitio fuit repreſentata; vt ſuo loco explicabimus.

¶ Theodoretus ita elucidat, & quidẽ egregiè hæc Ionæ verba; Ventrem, inquit, inferni, alvum Ceti vocauit. Cum hæc fera mortifera ſit, lege viuentium Ionas mortuus fuerat: at ſola gratia viuebat, alioqui, vt repreſentaret Dominum Ieſum Chriſtum, qui tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ fuit, accõmodatè, ſe ipſum in vẽtre fuiſſe dicit. Hoc verò multo maxime omnium mirabile eſt, quod hic, qui re ipſa, & veritate mortem guſtauit, in corde terræ dixit ſe fore tribus diebus, & tribus noctibus: Ille vero ad mortis ſpeciem, & vmbram, inferni ventrem, vocat, vẽtrem Ceti, & quidem Ionæ nõ in eius poteſtate vita fuit: Domino Ieſu Chriſto mors, & reſurrectio, voluntariæ fuerunt; id circo vbi illic infernus, & mors, cor terræ appellatum fuit, hîc infernus, venter Ceti nominatus eſt. ¶ Non placet illorum ſententia, qui aſſerunt hanc orationem habitam à Iona poſt euaſum diſcrimen, cum in terram

iectus fuit. Nam præterquamquod ſacro textui repugnat dicenti, oraſſe Ionã de ventre Ceti, ipſa implorandi Numinis opportunitate redarguitur, in periculis enim, & anguſtijs poſiti, ſolemus Dei opem implorare, non cũ liberi ab illis ſumus; tunc enim non ſupplicationes, & vota emittuntur, ſed gratiarum actiones, & laudum diuinarum Eclogia celebrantur.

¶ Irridenda etiam, & merito reijcienda eſt, ineptiſſima, ac planè abſurda Rabbi Selomonis explanatio, qui (teſte Franciſco Ribera) in hunc modum cõmentatur: Vox Hebræa terminationis maſculinæ (ideſt, D A G, quæ piſcem ſignificat) indicat iſtum piſcem fuiſſe marem, atque ita cum Ionas eſſet in latitudine, & ſpatioſe ageret, animũ non adijciebat ad orandum. Innuit itaq; Sanctus ille Deus benedictus piſci, vt euomeret eum in medium oris piſcis fœminæ, quæ grauida erat fœtibus, fuitque ibi Ionas in anguſtijs, ac tunc demum orauit: Quoniam dictum eſt poſtea eum oraſſe de ventre H A D A G A H, in terminatione fœminea, ideſt, piſcis fœminę. ¶ Vide obſecro, quam errẽt toto cælo, qui adeò Rabbinor. expoſitionibus, ſeu potius fabulis adhærent, vt meras illorum nugas, tamquam diuina oracula venerentur. Ac relictis D. Hieronymo, Ambroſ. Auguſt. Gregor. Magno, alijſq; ſimilibus innumeris præclariſſimiſq; Eccleſiæ luminibus, Rabbi Selomonẽ, R. Abraham, R. Dauid, & alios id genus tenebrarum Doctores conſectentur. Non poſſumus equidem non deplorare ipſorum calamitatem, qui doctiſsimorum virorum nomen ſibi arrogant, tantopere Hebraizare, vt in Sacris Scripturis exponendis, à cõmuni Doctorum ſacrorum ſenſu abhorrentes, in hæreticorum inſaniam, & rabiem prolabuntur. Sed de his ſatis. Fundamentũ autem, quo nititur R. Selomon leuiſsimũ eſt. Nam quamquã, H E, littera

littera ad genus fœmineum denotandū aliquando ſubſeruiat; ſœpiſsimè tamē ornatus cauſa ponitur, præſertim in fine periodi, & grauiſsimæ alicuius narrationis, aut ſententiæ, vt hoc loco. Quid (quod cœcus ille, ac imperitus cæcorum dux nō vidit) nonne promiſcue, & ſine diſcrimine in ſacris litteris, piſcis quicumq; dicitur D A G, & D A G A H, vt Geneſ. 1. 26. *Et præſit, vel dominetur*, BIDGATH HAIAM, in piſcem, (ideſt, in piſces ſingulare pro plurali) maris. Exod. 7. 21. V E-H A D A G A H, *Et piſcis* (ideſt, & piſces) *qui erant in flumine mortui ſunt*. Et Deut. 4. 18. *Similitudinem omnis* D A G A H *piſcis*. Quibus in locis ponitur D A G A H, in terminatione fœminea. Numquid piſcibus tantū fœminis Adam dominaturus erat? Aut ſolæ fœminæ mortuæ ſunt in flumine? Aut ſimulachra tantū piſcium fœminarum prohibebat Deus? Quod ſi horum locorū, & ſimilium pluriū, in quibus eſt D A G A H, in terminatione fœminina, oblitus erat, debuerat ſaltem animaduertiſſe, in fine capitis huius ita ſcribi: *Et dixit Dñs piſci, & euomuit Ionam in aridam*; vbi nō D A G A H ponitur, ſed D A G. Niſi forte putauit, iterum Dñm iuſiſſe piſci fœminæ, vt in medium oris piſcis maris, illum tāquam pila ludēs, reſtitueret; nè grauidæ alui anguſtijs, tam miſere præmeretur. Sed valeant Iudæorū ſomnia.

Geneſ. 1. 26. *Exod.* 7. 21. *Deute.* 4. 18.

¶ Hanc autē Ionæ orationē, non modo prophetico ſpiritu, verum etiam ſtylo poëtico fuiſſe decantatā, certum eſt. Vide Ariā Montanum, & Paul. de Palacios in hunc locū, & alios. Habet enim hoc, ſermo poëticus, & pedū legibus, ac numeris aſtrictus, vt mentē ſuauius afficiat, & rei grauitatem, de qua agit, vehemētius exprimat. Præſertim cum vel Deo gratiarum actiones pro acceptis beneficijs redduntur, vel à Prophetis maxima myſteria prædicuntur, vel ingentes calamitates deplorantur.

rantur. Est autem vatis nostri Carmen lyricum, dicolon, tetrastophon. Hic autem, ad lectoris tædium leuãdum, visum est in medium proponere, quæ lepidissimè scribit D. Paulinus Nolanus Episcopus in epist. 42. ad Cytherium versibus Iambicis exarata, in hunc modum de Iona agens:

In Appendice Biblioth. veterum Patrum col. 192.

Paucis reflexo carminis vestigio
Recurrere ad Ionam, libet.
Commenta Domini mira: mersus æquore
Intactis vndis fluctuat.
Vinit voratus, quique glutiuit manet:
Viuente ieiunus, cibo.
Et præda cum sit, esca non est belluæ
Domoque ventris vtitur.
O digna sancto claustra fugitiuo Dei
Capitur mari, quo fugerat,
Altumque vastæ missus in ventrem feræ:
Viuo tenetur carcere.
De naue iactus perit, & vndis nauigat.
Exul soli, & hospes sali.
Spatiatur antro belluini corporis
Captiuus, & liber reus.
Nam liber vndis, intra mare, exter maris,
Natat in natante bellua:
Claususq; quamquã corpore, exit ad Deum:
Volans propheta spiritu.
Corpus tenetur corpore, ac mentis fuga
Terrena vincla non tenent.

Inclusus

Incluſus aluo carcerem rumpit prece,
Aureſque pertingit Dei:
Orationi liber, & vinctus fugæ
Fide ſua ſeſe arguit.
Nam qui putarat per mare euadi Deum
Et naue celari Deo,
Nunc iſte, & intra belluam merſum mari
Adeſſe credat arbitrum.

¶ Sed iam Prophetam, atque poëtam noſtrum canentem audiamus.

¶ ORATIO IONÆ PROPHETÆ, ad Deum de ventre Ceti.

¶ Clamaui de tribulatione mea ad Dominũ, & exaudiuit me de ventre inferi, clamaui, & exaudiſti vocem meam.)

DVO terribilia diſcrimina Ionas incurrerat; in mare videlicet, ſubmerſionem, & à piſce inuaſionem, quibus cum ſingulari Dei ope liberũ ſe eſſe cognoſceret, à gratiarum actione, orationem ſuam exorditur. Et futuræ tandem omnimodæ ſalutis præſcius, Deum ſupplex adorat, eius magnalia prædicat, illi ſe ſubmittit, vota dedicat; ac quibus miſerijs, & anguſtijs circumſeptus, & liberatus ſit, ordine recenſet. Cum eſſem, inquit, in magna tribulatione cùm primũ è naui in pelagus fui deturbatus, ad te Piiſſime Deus, intimo corde clamaui; tuumque auxilium poſtulaui. Tu vero, ò, vnicum afflictorũ ſolamen, mihi

erſi immerenti non defuiſti: ſed viſus es votis meis annuere, ac reſpondere, dum me non æquoris voragine abſorberi; ſed neque ab hac bellua necari, tametſi deuorari permiſiſti: Cuius ego (tuæ ignorãs ſapiẽtiæ diſpenſationem) cum truculentiſsimas fauces multo magis, quam marinos vortices exhorreſcerem: non animum deſpondi, nec deſtiti, ex hoc horrendo barathro, ſeu ſepulchro, validiſsimos ad tuæ pietatis aures, clamores emittere; Ac tu me exaudiens, pro tua infinita potentia, ſalvum, vivum, ac ſine incommodo, aut moleſtia vlla conſeruas: ita vt pro certo habeam, tandem me omnino à te liberatum iri. Hæc eſt Ionæ verborum ſententia. Sed ſcrutemur ſingula; eſt enim in ipſis certa quædam, & rebus conueniens ſignificatio. *Clamaui de tribulatione mea.* Cum ſcilicet, tempeſtatibus affligerer in mari, vt Dauid Pſalm. 129. 1. *De profundes clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Et Pſal. 119. 1. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Item Pſal. 4. 1. *Cum inuocarem exaudiuit me Deus.* Verbum KARA, quod his omnibus in locis, & alijs quamplurimis ponitur, eam indicat vociferationem, quæ fieri ſolet ab ijs, qui in aliquo diſcrimine, ſiue angore verſantur. Qua etiam vſus Ionas, eius ſignificandi gratia verbum KARA, vſurpauit. At tamen, quia eius clamoris ratio à Deo habita fuit, non illum, maris vndis perire, ſed à piſce (cuius aluo ſeruãdus erat) deuorari diſponente, ſtatim adiunxit: *Et exaudiſti me.* VAIAGHANENI, nam verbum GHANAH, ſignificat reſpondere, annuere, concedere, alicuius petitionem reſpicere: Deinde cum ferociſsimi piſcis rictum, & ingluviem, tamquam maius certiuſque damnum, pertimeſceret, intenſius, ac validius multò, vociferandum ſibi fuiſſe indicat, dum ait: De ventre inferi,

Pſal. 129 1.
Pſal. 119 1.
Pſal. 4. 1.

SIVA-

SIVAGHTHI. Vociferatus sum. Verbum namque SAVAGH, refertur ad singularem quamdam vehementiam, vocem exerendi, acclamandique, salutis,& auxilij gratia. Vox SEOL, infernum, & sepulchrum significat. Verumenimvero, quemadmodum ijs, qui post naufragium cum maris fluctibus luctantur, adhuc supereſt aliqua euadendi spes, vel natando, vel tabulã arripiẽdo, vel alicui scopulo adhærẽdo; qui autẽ in infernũ, vel sepulchrũ detruduntur, omnem salutis spem abijcere solent: Ita etiam Ionas, cum in naui sæuissima tẽpestate vexaretur; vel in mari, fluctuum ferocia terreretur, clamare ad Dominum coactus est. Magnum siquidem erat periculum, sed videns se in ventre Ceti, tamquam in sepulchro, vel inferno concluſum, vbi omnis euadendi ratio intercludebatur, mirabile est, quod non deſponderit animum, immo certissima, in Deum spe concepta, quam potuit intensissimis clamoribus eius opem implorauerit. Hoc est igitur, quod tam magnificè, & merito exaggerat: *De ventre inferi clamaui, &c.* Quasi dicat: Vbi nullum solet esse remedium, clamanti mihi affulsit dulcissima tuæ benignitatis lux, auxiliumque potentissimum præstitit. Oraſſe autem Ionam, non solum valide, sed etiam perseueranter toto triduo, mihi fit verisimile. De ieiunio nulla est dubitatio.

¶ ET proiecisti me in profundum in corde maris,& flumen circũdedit me: omnes gurgites tui,& fluctus tui super me transierũt.)

PAVLVS de Palacios,qui existimat Ionam nõ statim,atque proiectus est in mare, à pisce fuisse voratũ,hæc ita exponit: Cum viri illi me è naui deiecerunt, tu Domine, impetu potentiæ tuæ, proiecisti me in profundissima loca maris, scilicet, vt maris ima contingerẽ. Ergo Ionas non ex naui à Ceto fusceptus,sed ad maris ima peruenit. Et(vt ego ex textu colligo) aliquis canalis erat in profundo, per quem mare,vt flumẽ decurrebat: quo flumine Ionas circumdatus est; ideò ait, Flumen circũdedit me. At interim, inquit,omnes fluctus tui,& omnes aquarũ tumuli,quos Hebræi gurgites vocant, super me transibant.] Hæc Palacios. At vero,quoniam veteres interpretes (vt superius diximus) hæc omnia referunt ad Ionam, in ventre Ceti constitutum,censent illum intra piscem, profundissimam maris abyssum, & voraginem penetrasse; vastissimamq; fluctuum,& aquarum molem sustinuisse. Sic enim ait Hieronymus: Quantum ad personam Ionæ, non est difficilis interpretatio, quod Ceti clausus aluo, in profundissimo, & in medio maris fuerit, fluminibusq; vallatus.] Arrepta namq; huiusmodi præda proculdubio immanis ille piscis profundissima maris loca celerrime discurrẽs, Ionæ occasionẽ præbuit talia verba proferendi. Maris profunditatẽ hîc vocat cor,metaphoricè; cor enim in medio est corporis cuiuslibet animalis. Vnde ad significandũ medium, seu meditullium

Cor, quid significet.

lium alicuius rei, translata est similitudo. Psalm. 45. 3. *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Ideſt, in maris profunditatē. Ezech. 27. num. 4. & 25. 27. & cap. 28. 2. Deutero. 4. 11. vbi in nostra Vulgata legimus: Vsque ad Cœlum; Hebraicè legitur; *Vsque ad cor Cœli,* ideſt, vsque ad medium Cœli: vel altissimū Cœli locum. Et etiam Exod. 3. 2. Vbi noster interpres habet; *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis*; in Hebraico est. *In corde ignis*; ideſt, in medio ignis. Ita etiam Christus Dominus dicit, se per mortem futurum in corde terræ, ideſt, in Limbo, qui est terræ locus profundissimus. *In corde maris.* Idē est, quod in cor maris. LXX. *Proiecisti me in profundum cordis maris.* Chald. *Proiecisti me in profunditates in cor maris.* Quod si de proiectione à nautis facta, intelligatur, Deo actionem hanc præcipuè tribuit, cuius voluntate, & tempestatis commotio, & sortium dispositio, & omnia, quæ Ionæ euenerunt, efficiebantur. Hoc maxime ad disciplinam spectat piorum virorum, cum in hac mortali vita, damnis, ærumnis, & incōmodis afficiuntur. Ea enim omnia, vtpotè à Deo profecta, debent æquo animo tollerare; non irasci hominibus, alijsvè causis secūdis, quorum opera Deus vtitur. Ita Iob cum à Sathana, calamitates ingentes acciperet, nō ad ipsum, sed ad Deum, (cuius nutu omnia gerebantur) eas referebat, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Dño placuit ita factum est.* ¶ *Flumen circundedit me.* Flumen ponitur pro fluminibus, singulare vice pluralis, in sacris litteris frequentissimum. LXX. *Et flumina me circumdederunt.* Tumidi autem maris rapidissimū æstum, flumen vocauit. Verbū enim Hebr. NAHAR, significat æstuare, inundare, fluere, procurrere, delabi; præsertim cū designatur, magna precipitatio, & aquarū copia.

Psal. 45. 3. *Ezechie.* 27. 4. & 25. 27. & 28. 2. *Deute.* 4. 11. *Exod.* 3. 2. *Iob.* 1. 21

Quare hoc loco Metonymice, fluminis nomine, intelligitur, vel mare ipsum, quo fluvij omnes confluunt, vel quod eo in loco, vbi tempestas vigebat, alicuius maximi fluminis in mare ingredientis ostium erat. Quamobrem ibi aquæ vehementius feruebant. *Omnes gurgites tui.* Hebr. COL MISBARECA, omnes confractiones tuæ. Verbum SABAR, significat frangere, confringere, conterere; vnde turbati maris fluctus appellantur MISBARIM, actiua, & passiua significatione, eo quod, & naues confringere soleant, & se se mutuo cõterere, cum modo instar montis facto cumulo, maxime eleuantur, modo hiatu terribili, se in profundum demittũt. Iuxta illud Psal. 106. 26. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Quod egregiè depingit Virgil. 1. Aeneid.

Psal. 106 26.

Talia iactanti, stridens Aquilone procella
Velum aduersa ferit, fluctusq; ad sydera tollit.
Franguntur remi. tum prora auertit, & Vndis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons,
Hi summo in fluctu pendent, his Vnda debiscens
Terram inter fluctus, aperit. furit æstus arenis.

¶ Ouid. etiam lib. 1. Trist. Eleg. 2. de tempestate, quã inexilium nauigans, passus est, sic ait:

Me miserum quanti montes Voluuntur aquarum
Iam iam tacturos sydera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore Valles
Iam iam tacturas tartara nigra putes.

¶ Ob hanc fluctuum celsitudinẽ LXX. hoc loco transtulerunt

ſtulerunt: *Eleuationes tuæ.* Vt etiam Pſalm. 92. 4. Mirabiles elationes maris; vbi eadē eſt vox MISBARIM, pro qua Pagnin. & Vatab. vertunt fluctus. Pro fluctus, in Hebræo eſt GALLIM, quod rotationes, ſeu reuolutiones ſignificat; quo indicari videtur illi fluctus, qui inſtar circum actæ rotæ, nauigia, vndequaque ita cingunt, ac torquent illa vt abſorbeant ſœpiſsime. Vt apud Virg. 1. Aeneid. *Pſal. 92. 4.*

Vnam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit; excutitur pronuſq; magiſter
Volvitur in caput: aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum; & rapidus vorat æquore vortex.

¶ Hæc vero Ionæ verba: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Eadem omnino ſunt, iuxta Hebraicam lectionē cum illis, quæ Dauidis ore, in maxima ærumnarum veluti tempeſtate poſiti, fuerunt decantata. Pſal. 41. 8. *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Hebrai. COLMISBARECAVE GALLECA HHALAI GHABARV. Quæ LXX. vertūt: *Omnes eleuationes tuæ, & fluctus tui.* Dei autem vocat, huiuſmodi excelſos, & rapidos fluctus, nō ſolum ratione dominij, quo omnia creata illi ſubiecta ſunt, ſed etiam obſequij; quod hac in re, tamquam famuli illi præſtiterunt. Quemadmodū enim nuncij, eius dicuntur eſſe, à quo legantur; ita fluctus merito, Dei appellantur, cum tamquam eius miniſtri ad Ionæ punitionem, mitterentur. *Pſal. 41. 8.* *Pag. Omnes inundationes tua.*

¶ ET ego dixi, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamē rursus videbo Templum sanctum tuum.)

HEBRAICE: *Proiectus sum lōge ab oculis tuis, sed adiyciam ad aspiciendum Templum sanctitatis tuæ.* Chald. *Eiectus sum à cōspectu verbi tui; verumtamen addam aspicere Sacrosanctum Templū tuum.* Quoniam in naui, post diuinum auxilium inuocatum, multo magis sæuisse tempestatem, & in mari à bellua se deuorari viderat: animo eius insedit opinio, à Dei gratia, & fauore prorsus desertum fuisse; hoc enim significat; Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Nō quod existimauerit Ionas aliquem, Dei oculos, hoc est, eius prouidētiam, & potestatem posse effugere; sed loquitur de intuitu amoris, & misericordiæ, quo pios homines Deus prosequitur, ipsis opem, ac beneficia conferens, iuxta illud Psalm. 33. 16. *Oculi Domini super iustos.* Et Psal. 24. 16. *Respice in me, & miserere mei.* Quemadmodum enim, quē aliquis odio habet, dicitur videre non posse, ab eoque vultum auertit: Ita Ionas propter inobedientiæ flagitium, tot malis circumuentus, se à Dei vultu omnino abalienatum, iudicabat. Quibus etiā verbis, Dauid vtitur Psal. 30. 24. *Ego dixi in excessu mentis meæ.* (Vel vt habet Rom. Psalteriū, *In pauore meo*, hoc est, cum perturbato essem animo, ob ingētium calamitatum terrorem) *Proiectus sum à facie oculorū tuorū:* Vel vt Hebr. vox NIGRAZTHI, propriè significat: *Excisus sum.* Quasi dicat: Me indignū beneuolentia, & fauore tuo, tamquam ex viuenti arbore excisum ramū, à te penitus derelictum existimaui. Et statim adiecit: *Ideo exaudisti vocē orationis meæ dū clamarē ad te.* Ac si diceret: Sed non idcirco cessaui à te inuocando, & oran-

Psal. 33. 16. *Psal.* 24. 16. *Psal.* 30. 23.

& orando. Quapropter tu (qui prope es omnibus ad te vere clamãtibus) mea oratione exaudita, opem in tantis cladibus attuliſti. Eodem quoque modo Ionas ſubiungit: *Verumtamen rurſus videbo Templum ſanctum tuũ.* Quæ verba ſic intelligenda cenſeo. Quod cũ in ventre Ceti, vehementer vociferatus ſit (vt ſuperius diximus) Dei auxilium expoſcens, tandem vel Dei oraculo admonitus eſt, ſe ex tantis malis ereptum iri: vel agnoſcens diuini fauoris præſentiam, illæſum ſe, & vivum ſeruantis, certiſsimã in ſpem venit, perfectam ſalutem, & liberationẽ cõſequuturum; Deoq; in gratiarum actionẽ in ſancto Templo Ieroſolymis, victimas immolaturũ eſſe. Magnã habet emphaſim illud; *Rurſus videbo Templum ſanctum tuum.* Quam indicat verbum NABAT, quod non quemcumq; intuitum, ſeu viſionem denotat, ſed diligentẽ, accuratam, cum attentione, & animaduerſione, LE HABIS ad conſpiciendum, ſiue vt conſpiciam. Nihil enim erat pijs viris inexilium relegatis optatius, quam ſancti Templi atria frequenter, & deuotè inuiſere, Deique cultui vacare Pſal. 121. 1. 2. *Lætatus ſum in ijs, quæ dicta ſunt mihi, in domum Dñi ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalẽ, &c.* Pſal. 83. 1. *Quam dilecta tabernacula tua Dñe virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini, &c.* Vel etiam his verbis: *Proiectus ſum à conſpectu oculorũ tuorum,* ſe dono prophetico priuatum iam eſſe arbitrabatur. Quod indicare videtur Chaldæus, dum transfert: *Iectus ſum à conſpectu verbi tui*, vt Pſalm. 50. *Ne proijcias me à facie tua*, ideſt, ne mihi propheticum ſpiritum adimas, vt interpretantur Hieronym. Caſsiodor. & alij. Per faciem Dei, ſignificari munus prophetandi, iam ſuperius diximus.

Pſal. 121. 1. 2.

Pſal. 83. 1.

Pſal. 50. 13.

¶ Circũ-

¶ Circumdederunt me aquę vſq; ad animam: abyſſus vallauit me: pelagus operuit caput meum.)

HAEC nonnulli de Iona, è naui præcipitato, antequam à piſce deglutiretur, ita interpretantur: ſuo, videlicet, pondere in maris profundum deſcendiſſe, tantumq; aquæ ebibiſſe, vt ferè eſſet ſuffocatus, certiſsimaque mortis expectatione perterritus, hoc enim ſignificat, vſque ad animã, ideſt, vſque ad apertiſsimum vitæ diſcrimen. Chald. Vſque ad mortẽ. Eadem pene ſunt, quæ Regius Vates, ait Pſalm. 68. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vſque ad animam meam.* Hoc eſt, vſque vt mihi ſit neceſſario pereundum, niſi tuæ virtute potentiæ, eripiar. Quo loco aquarum nomen metaphorice, pro calamitatum multitudine vſurpatur. At vero ſacrarum litterarum explanatores, cõmuni fere cõſenſione, hæc Ionæ verba, ad illud tempus referunt, quo erat in ventre Ceti, aquaſque non translatitie, ſed propriè intelligendas eſſe, aſſeuerãt. Sed dubium eſt, Quonam pacto ibi Ionas aquarum mole ad vitæ, vſque diſcrimen circumueniri, opprimique potuerit? Id quidem ita intelligendum exiſtimo: Quod cum in beluæ vẽtre incluſo, nulla alia ad reſpirandum via pateret, præter eam, qua piſcis reſpirabat (piſces autẽ præſertim magni aqua exſorbenda, & reſpuenda, animalis reſpirationis vice funguntur,) ingenti aquarum vi nõnumquam coopertum, atque reſpirandi facultate adempta, vehementer afflictum, ac pene præfocatum fuiſſe Ionam, apparet manifeſtiſsime. Quod vero piſces omnes præſertim Cetacei, & qui fiſtulas gerunt aquæ plurimum, & crebro ore exhauriant non reſpirationis tantum, ſed etiam refrigera-

Pſal. 68. 1.

frigerationis,& nutritionis gratia;quam quidem aquã, cum opus non eſt, per branchias, ſeu fiſtulas euomunt, docet Rondoletus lib.1. de piſcibus cap.12. Et propterea,quia ob frequẽtem à piſce ebibitam aquarum multitudinem, non erat Ionæ vitalis aëris ducendi copia, dicit: *Circũdederunt me.* Hebr. *Inuoluerunt me aquæ vſq; ad animam*, ideſt, vitã mihi,intercepta reſpiratione,adimebant. *Abyſſus vallauit me.* Aerumnæ ſuæ, & calamitatis incremẽtum oſtendit; atq; in eas deductum fuiſſe anguſtias,nulla vt ſpes futura eſſet ſalutis. Nam piſcis, ipſo deuorato, nõ ſummis aquis innatauit,ſed profunda quæque loca vſque ad maris ſolum petijt, ita vt hærẽtem in eo algam,capite ipſo euelleret, hoc eſt, quod ſubijcit: Pelagus operuit caput meum. Hebr. S V P H HAVVS LE ROSI, alga ligata, vel implicata capiti meo. Cald. *Mare carectoſum ſuſpenſum erat capiti meo.* Vox S V P H, ſignificat algam,& caricem,ſeu iuncum.Quorum fruticum diuerſiſsimus eſt ſitus, naturaq; alga enim (cuius nota eſt leuitas,& vilitas)in immo maris pauimẽto naſcitur; ac fluctuum (cum tempeſtas ingruit) vi & feruore,& diſcurrẽtium piſcium roſtris, facile excerpitur, capitibuſque inuoluitur; tum demum cum ſit leuiſsima vndis ſupernatans, in littus eijcitur. Iuncus vero,ſeu carex,ſolidior eſt,creſcitque plerumq; in littoribus; cuius immenſa copia,Arabico mari nomẽ indidit apud Hebræos,illud appellantes iam, S V P H, ideſt, mare algoſum, ſeu carectoſum. Quod noſter interpres vertit, mare Rubrũ. Hoc igitur eſt, quod Ionas ait, adeò altè ſe demerſum fuiſſe,vt non ſolum ſpiritum aquis intercluſum, ſed caput etiam alga implicitum, more piſcium habuerit. Quicquid enim piſci (in cuius aluo ille erat) accideret, id ſibi etiam aſcribere potuit, qui profundius etiam quã piſcis agebatur. Quid,quod:

ſi piſces

si pisces, quamplurimi, alga vescuntur, vt probatorum auctorum testimonio, & experimento constat; non improprie, immo vere dixerimus, ipsiusmet Ionæ caput, alga sæpissime fuisse implicatum. Amplificat tantopere, quibus vexatus sit laboribus, & ærumnis, vt hoc pacto, quanta fuerit sua in Deum fiducia, & spes, ac Dei erga ipsum, beneficiorũ, miraculorumque magnitudo, cognoscatur. Tamquam inepta nullaque ratione probabilis, reijcienda videtur illa Rabbinorum expositio, affirmantium, hoc loco, per S V P H, intelligi mare Rubrum, quod Ionas dicit capiti suo incubuisse: Quoniã Deus, inquiunt, pisce aduehente, voluit illi ostendere, mare illud carectosum, & quo modo per medium eius Israelitę sicco pede, traiecerint. Nam gemini oculi piscis, erãt, veluti duæ vitreæ feneſtræ, per quas ipse perspiciebat, intuebatur omnia, quæ erant in mari. Quod quidem Rabbi Abraham scribit fieri potuisse, cum ex Iaphet testimonio, mare Rubrum, cum mari Ioppes cõmisceretur. Sed hæc sententia falsissima est, vel ea sola ratione, quod (vt ex Geographia constat) nihil habet cõmercij, mare Rubrum cum Mediterraneo, neque ad illud ex hoc mari nostro nauigari potest, nisi sulcatis prius plusquam 656. leucis maris Mediterranei, ac traiecto freto Herculeo tota Africa circum eatur: cui nauigationi, vix sufficerent tres, vel quatuor menses.

R. Salomonis.

R. Dauid

R. Abraham.

¶ AD extrema montium descendi: terræ vectes concluserunt me in æternum.)

MVLTIS, & maioribus difficultatibus se circũuentum fuisse ostendit, ita vt nulla emergendi via, siue ratio, naturaliter patere posset. Extrema montium, aiunt Theoph. & Theodor. significare maximas rupes

rupes, & scopulos, in maris profundo collocatos, in quos sœpe naues impingentes, confringuntur. His, cauernæ inesse solent, in quas pisces magni se recipiunt. Ionas itaque huiusmodi montium antris longe à terra disitis, tam arcte conclusus, iure optimo se, veluti vectibus quibusdam, ac repagulis firmissimis circumdatum esse asserit: Metaphora desumpta ab ijs, qui in carcerem vectibus ferreis, ac validissimis obseratum, detruduntur, quibus nulla est euadendi copia. Hæc expositio videtur Hebraico idiomati magis cõsentanea, vbi sic habetur. *Ad scissuras montium descendi.* KETSEB significat scissurã, præcisionem, à verbo KATSAB, quod est incidere, præcidere, tondere, decurtare. Vnde LXX. similiter transtulerunt: *Intrauit caput meum ad scissuras montium, descendi in terras cuius vectes retinacula sempiterna.* Hoc est, numquã vllam inde exeundi facultatem præbent, cum mari vndique cingantur. Bened. Arias Montanus existimat: Extrema montium, esse sinus valde profundos, qui fiunt promõtorijs hinc inde in mare procurrentibus; in quos Ceti, tanquam in portum confluere solent. Eas enim præruptas, & altissimas rupes, quibus mare, illis in locis arcetur, ac veluti vectibus occluditur, extrema vocat montium; cum sint re vera, mõtium à terra ad mare, vsque extensorum extremitates. Eamdem interpretationem amplectitur Vatablus; Circa promontoria, inquit, habitare solent pisces illi immanes, quod aqua illic sit profundior. Fauet Chaldaica translatio, seu Paraphrasis: *Ad radices montium descenderam, & terra ferrarat robora sua super me in perpetuum.* Vide, quæso, quam firmis vectibus circumvallatus esset Ionas, cum montibus, pelago, Ceti aluo, concluderetur.

¶ ET ſubleuabis de corruptione vitam meam.)

NIHILOMINVS tamen, inquit, quamquam ſim tot tantisque difficultatibus coarctatus, ſpero ſcioque me à te in libertatem aſſerendum, ab interituq; eripiendum. Cum videret Vates in his omnibus incommodis, adhuc ſe ſuperſtitem, ac illæſum eſſe; Dei beneficium, ac virtutem agnoſcens, non dubitat de ſua omnimoda ſalute. Chald. *Sed proclive fuit tibi educere à corruptione vitam meam, Domine Deus meus.*

¶ Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, vt veniat ad te oratio mea ad Templum ſanctum tuum.)

IN extremo terribiliq; mortis articulo, vbi iam vita deſperatur, ad Deum confugere, eiuſque miſericordiam, & opem fuſis lachrymis poſtulare, vnicum eſt remedium. Quod viris probis, qui vitam pie inſtituerunt, præſentaneũ eſt; iniquis vero, qui toto vitæ ſpatio, turpibus delicijs dediti, nefarijs criminibus ſe ſe contaminarunt, difficillimum. Fere enim ſemper in huiuſmodi periculo, improborum hominum mens nimio ſæculi huius amore illecta, prauarumque cupiditatum laqueis conſtricta, nihilminus, quam de Deo, eiuſque imploranda venia, & auxilio cogitare ſolet; quod experiuntur potiſsimum, quibus præter ſpem, ſubitum aliquod vitæ diſcrimen accidit. Hi namque, ſi diuinarum rerum immemores parum honeſtè, & pié vixerunt, repentino malo oppreſsi & ſtupefacti, nullius neque conſilij,

filij, neque rationis compotes euadunt. Contra verò viri sapiētia,& virtute præditi, qui omnes suas cogitationes, in diuinæ legis obseruatione defixerunt, cum subitaneis huiusmodi periculis abripiuntur, facilè ad Deum se se conuertunt, confugiuntque; eius opem,& misericordiam postulantes. Maximum semper lucrum ex tribulationibus, Dei famuli reportare solent, vt ait Paulus Rom. 5. 3. *Scientes,quoniam tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem: spes autem non confundit.* Quod in nostro Iona licet intueri, cum enim hactenus semper fuerit, diuino obsequio addictus,eiusque mandatorum obseruantissimus; modo autem in grauissimum vitæ discrimē adductus, ac calamitatum stimulis incitatus, facillimo negotio, in viam à qua nonnihil deflexerat, redijt; Deique Maiestatis memor, in vota,& preces vehemēter incubuit. Simili modo Dauid Psal. 76. 4. *Memor fui Dei,& delectatus sum, & exercitatus sum,& defecit spiritus meus.* Hebraicè: *Recordatus sum Domini,& infremui, & meditatus sum & defecit,seu coopertus est spiritus meus.* Quasi dicat: Cum tantoperè angustiarer, vt quasi doloribus cooperti tus, & obrutus fuerit spiritus meus, cæpi meminisse Dei,& sublata voce cum magno gemitu, opem eius implorare;totusq; fui in precibus,& meditatione diuinorum operū. Illa cōiunctio (ET.) causam denotat,vt sœpissime in sacris litteris; idem valet,quod*(quia.)* Vatab. ita interpretatur: Tam obnixe deprecatus sum,vt pene passus sim deliquiū, præ orationis vehemētia. Vbi,& in hoc Ionæ loco,est verbū GHATAPH, quod in vltima præcipuè coniugatione significat deficere, angustiari, cooperiri, obrui, deliquium pati. Quamquidem animi affectionē,seu defectionē pati consueuerūt, qui subitò acerbissimo dolore,vel calamitate percelluntur; quod

Rom.5. 3

Psal. 76.

Hispa-

Hiſpanicè dicitur: *Cubrirſele el coraçon, ò darle paſmo.*

*Pſal.*141 4. Pſalm. 141. 4. BEHITH GHATEPH. *Cum cooperiretur, vel deficeret in me ſpiritus meus.* LXX. In deficiendo ex me ſpiritū meum. Thren. 2. 12. BEHITH GHATEPHAM; Cum deficerent ipſi, ſiue cum anguſtijs obruerētur ipſi. In hac ergo animi defectione & anguſtiarum multitudine, obrutus erat Ionæ ſpiritus. Chald. *Cum deliquio in me laboraret anima mea, cultus Domini ſum recordatus.* Nec ob id Dei immemor fuit, immo ipſum exerta voce, & vehemēti affectu precatus eſt. Atque ita ait: *Vt veniat ad te oratio mea ad Templum ſanctum tuum.* Vt, nō cauſam, ſed conſequutionem indicat; vt Hebr. habetur VATHABO; Et peruenit ad te. Quaſi dicat: Scio à te me exauditū, orationemq; meam ad templum ſanctum tuum, hoc eſt, Cœlum, (in quo præcipue reſides, ac coleris) penetraſſe. Chald. *Et penetrauit coram te oratio mea in Templum ſanctitatis tuæ.* Per Templum Hieronym. quem Vatablus, alijque ſequuntur; accipit Cœlum, Dei ſedem beatiſsimam. Vt etiam accipitur Pſalm. 17. 8. *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de Templo ſancto ſuo vocem meam,* ideſt, de Cœlo; nondum enim erat Templum conſtructum. Et Pſal. 10. 5. *Dominus in Templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes eius.* Cœlum etiam Ethnicos appellaſſe Templum Dei, cōſtat ex Poëta:

Contremuit Templum magni Iouis alti tonantis.

Treno. 2. 12.

Pſal. 17.

Pſal. 10.

¶ Poſſumus etiam intelligere cum Theodor. & Theophylact. Templum Ieroſolymitanum, vel quod Ionas, more Dei ſeruorum, & prophetarum, verſus Ieroſolymam orans, ad Templum ſanctum preces direxerit, vt Daniel in captiuitate poſitus, factitauit: iuxta illud 3. Reg. 8.

Reg.8.46. *Si reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint, & orauerint te contra viam terræ suæ, quã dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti, & Templi, quod ædificaui nomini tuo, tu exaudies in Cœlo in firmamento solij tui orationes eorũ, &c.* Quare cũ id propheta tamquam exploratum haberet, in solo Templo Ierosolymis à Salomone constructo, diuina responsa, & reuelationes exhiberi solere, legitima sacrificia offerri, preces, & supplicationes exaudiri, modo orans ad Templũ ipsum, proculdubio animum intendit. Siue vt scribunt Theodor. & Theoph. in hac oratione à Deo impetrare conatus est, vt aliquãdo liceret ei, ab illo tetro carcere libero, & in domum Dñi tamquam post liminiũ reuerso, in ea suas preces, & vota persoluere. Ita vt verba illa: *Et veniat ad te oratio mea.* Ad futurum tempus referantur, (quemadmodũ sunt in Editione Vulgata) sitq; particula (Vt) optantis coniunctio.

¶ Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent.)

EXPERTVS Ionas tam largam, tamque munificam Dei miserationem; cum propter flagitium puniendus esset, tanto diuini amoris igne flagrauit, vt doleat maxime, eorum miserrimam vicem, qui Deo vero relicto, ad Idolorum sectanda vanitatem, cõuertuntur. Hoc enim proprium est Dei seruorum munus, aliorum saluti consulere, Deique gloriam totis viribus amplificare. Quare in eos videtur inuehi, qui fœdissimæ scelerum obseruationi dediti, indignos se Dei misericordia efficiunt, quam suam ipsorũ appellat, propterea quod nemo est, qui ea, nisi peccatorum obicem interponat, non perfrui valeat. Deus

enim(ait Hieronym.) natura misericors est, & paratus, vt saluet clementia, quos nō potest saluare iustitia; nos autem vitio nostro paratam misericordiam, & vltro se offerentem perdimus, & relinquimus.] Theophylactus hæc verba sic exponit: Vana, & mendacia Idola sectantes, & seruientes, ijs, qui non sunt dij, misericordiam abs te non postulant, vel misericordiam à te consequuti, & liberati à calamitatibus non celebrant, neq; magni faciunt misericordiā, quam fecisti, cum ipsis, vel te misericordiam ipsorum reliquerunt; per tuam enim misericordiā viuunt. Nam si tu iniquitates obseruaueris, quis sustinebit?] Hæc Theophylact. Chald. *Non more gentium Idola colentium, qua, quo ex loco beneficium conferatur illis, nesciunt.* Frustra autem custodiri asserit flagitiorum vanitates; quia nihil est peccato mēdacius, nihil inanius, nihil turpius, nihil homini ad Dei imaginem, & similitudinem effecto pernicioſius: frustra certè, ac sine fructu vllo, dæmonis obsequio se se addicunt miseri homines, & potissimum Ididolatræ. Psal. 30. 7. *Odisti obseruantes vanitates superuacuè.* Quo in loco eadem sunt verba, quæ in præsenti. Et per vanitates, fere omnes, Idola interpretātur. HASOMERIM HABELESAVE, custodiētes vanitates gratis, vel mendacij. 4. Reg. 17. Volens Deus significare filios Israel ad Idola sectanda defluxisse, inquit: *Et ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.* Et Psal. 24. 3. *Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.* Ideſt, sine præmio, aut commodo vllo. Roman. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Benedictus Arias Montanus censet, hic loqui Ionam de sua ad Niniuitas futura legatione, eorumq; pœnitētia, & vitæ melioris institutione. Quasi his verbis affirmet, & polliceatur, se muneri prophetandi hactenus recusato, tam cumu-

Psal. 30. 7.
3. Regum 17. 15.
Psal. 24. 3.
Romā. 6. 21.

cumulate satisfacturum, vt inobediētiæ flagitium quod perpetrarat, promptissimo diligētissimoque obsequio, compensasse videatur. Prænuntiatq; sua prædicatione, Niniuitas, abiecta inanium simulachrorū veneratione, ad Dei cultum fore traducēdos. Hoc ergo inquit; *Qui custodiunt vanitates frustra.* Vel vt ex Hebr. verti potest: *Qui custodiunt funes vanitatis.* Hoc est, Niniuitæ Idola, fallissima & vanissima religione adorātes. Funes vanitatis vocat, inanem Idolorum cultum. Nam religio omnis, cōstat certis quibusdam præceptis, & institutis, quibus hominū animi alligantur; vnde à religando religio appellatur. *Misericordiā suam derelinquent.* Ideſt, mea prædicatione, iniquum obsequium, quod dijs fallacibus exhibebant, derelinquent. HESED, significat misericordiā, pietatem, obsequium, vel beneficium, sacrilegium, seu flagitium. Quasi dicat; falsam pietatem, qua deos venerantur, relinquent; mutatoq; consilio ad Deum colendum se conuertent: vel, derelinquent indignum facinus, & flagitium, quo se propter iniquam Idolorum religionē deturpantes, diuini Numinis iracundiam concitauerunt.

¶ Hoc plane vaticinium, res ipsa comprobauit. Nam (vt cap. 3. statim videbimus) Niniuitæ illico, audita Ionæ prædicatione, tanto fuerunt Dei timore perterriti, vt relicta sacrilega Idolorum veneratione, vberrimis lachrymis, alijsque pœnitentiæ signis, anteactæ vitæ flagitia eluentes, ad Dei misericordiam confugerunt: Quorum mentes, ijs, quibus agitatus fuerat Ionas casibus cognitis, veluti quodam prodigio, diuinam voluntatem demonstrante, vehementer fuerunt concitatæ. Quare hæc prophetæ calamitas, in Niniuitarum etiam vtilitatem maximam, redundauit. Illis enim fuit tamquam portentum admirandum, & ad ipsorū animos

permouendos validissimum. Iuxta illud Luc. 11. 30.
Luc. 11. 30. *Sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit filius hominis generationi huic.* Quod autem Ionas narrauerit Niniuitis, quæ sibi in maris tempestate & Ceti deuoratione contigerant, præter recentiores interpretes, innuit apertissimè D. Irenæus aduersus hæres. cap. 22.

¶ Theodoretus de nautis hæc verba exponit, quasi dicat Ionas; Propterea ipsos nulla misericordiæ habita ratione, eum in mare proiecisse, quia Idololatræ erant, falsarũ superstitionũ obseruatores, & in homines, quos dijs immolabant, efferati, & crudelissimi. Hæc tamẽ interpretatio non est textui consona, cum & nautæ erga Ionã mirifica vsi sint misericordia, & humanitate, & relicta impia superstitione, Dei cultui se se dedicauerint.

¶ Paul. Burgensis in additionib. ad hunc locũ, ait, hunc esse sensum: Illi, qui custodiunt vanitates falsorũ deorũ, vouentes eis in tribulationibus suis, aliqua opera misericordiæ facere, tales misericordiam suam derelinquunt, quia illi dij non possunt eos iuvare; sed qui vouet Deo vero, oportet, quod reddat vota sua: eo quod est adiutor in tribulationibus: & ideo subdit propheta; Ego autem in voce laudis, &c.

¶ Ego autẽ in voce laudis immolabo tibi: & quæcumq; voui reddã pro salute mea Dño.

HAC orationis vltima clausula, & periodo, meliorem viuendi rationem se habiturum pollicetur; totumque futurum in Dei laudibus celebrandis, sacrificijs immolandis, ac demum votis hactenus pro sua incolumitate nuncupatis, persoluẽdis. Quare hæc deprecatio ea omnia continet, quæ ad veram peccatorũ pœnitudinẽ, & in Deum conuersionem, requiruntur. Cõstat enim, & flagitij cõfessione, & diuinæ misericordię inuoca-

inuocatione, & firma promissione, Dei præceptis obtemperandi, eiusque beneficia prædicandi. *Quæ quidē omnia in Dauidis pœnitentia Psal. 50. egregie depicta conspicimus. Vbi nō modo delicta confitetur, cum ait: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meū contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Sed etiam diuinam veniam postulat. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, &c.* Demum se totum diuinæ legis obseruationi traditurū, aliosque à virtutis, & religionis tramite discedentes, in viam salutis æternæ reducturum, promittit. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur, &c.* Eodem quoq; pacto Ionas, postquam peccatum suum detestatus, quas illius causa passus est angustias enarrauit, Deique misericordiam flagitauit, tandem orationem cōcludit: *Ego autem in voce laudis, &c.* Quasi dicat: deliront quantū velint miseri, ac cæci Idololatræ, à tuaq; misericordia discedant: ego autem tua cognitione, veraque religione instructus, huius tanti beneficij à te accepti memor semper, immolabo tibi hostias in templo tuo, solemnique cantu, & alta voce offeram sacrificium laudis, tuam celebrās misericordiam admirabilem, qua me ab æterno, & animæ, & corporis interitu liberasti. Profitens hæc diuinus Vates (inquit Theodoretus) vt promisit, sic exequutus est: & scriptis omnia tradidit, vt non solum homines, qui tunc erant, sed etiam posteri noscerēt eius facinora: Et quemadmodum admirabilis Dauid, cum scriptum reliquit suum delictum, Dei misericordiam prædicauit, & peccantibus fructum pœnitentiæ ostendit: Sic Ionas, & fugā, & pœnas de se sumptas, & datam salutem monumentis historiæ prodidit. ¶

Psal. 50. 5. & 6. & 11. & sequentibus.

¶ Illa autem verba: *Pro salute mea*, in Hebræo Textu

sic habetur, IESVGHATHAH LAIHOVAH, hoc est; *Salus Domini est*. Vt vertunt Pagninus, Vatabl. & Tigurina. Quibus verbis, quamquam idem est sensus, maior videtur inesse energia, ad Dei potentiam exprimendā, perinde, ac si diceret: Non est quod Ethnici expectare possint salutem vllam à suis Idolis inanibus, omnique prorsu sensu carentibus, quia tu solus potes à malis liberare, & bona quæcumq; cōferre: Quod ego, cum antea probè cognitum haberē, modo sum expertus abundanter. Hac eadem sententia, ijsdemque verbis Regius Vates, orationem suam finiuit, qua, in tribulatione maxima positus, ad Dei præsidium confugit. Psalm. 3. 9. *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.* Ideſt, tu solus, & in periculis salutis, & in secundis rebus fœlicitatis auctor es, in te sperantibus.

Psal.3 9.

¶ ET dixit Dominus pisci, & euomuit Ionā in aridam.

Dicere pro imperare frequens in sacris litteris.

TANDEM Deus Opt. Max. exaudita Ionæ oratione, & expectato triduo; quod opus erat, & ad ipsius correctionē, & ad mysterij futuri significationem, dixit pisci, hoc est, præcepit. Dicere enim pro imperare, phrasis est in Sacris litteris admodum frequens. Genes. 1. 3. *Dixit Deus fiat lux.* Hoc est, præcepit, seu voluit fieri lucem. Quod explicatur Psal. 148. 5. *Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Psal. 106. 25. *Dixit, & stetit spiritus procellæ.* Sap. 9. 8. *Et dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo.* Exod. 1. 17. vbi legimus; *Et non fecerunt iuxta præceptū Regis Aegypti* In Hebr. sic habetur: *Et nō fecerūt sicut dixit eis Rex Aegypti.* Mat. 4. 3. *Dic vt lapides isti, panes fiant,* Et cap. 8 8. *Tantum dic verbo, & sanabitur*

Genes. 1. 3.
Psal. 148
Psal. 106
Sap. 9. 8.
Exod. 1.
Math. 4. 3. & 8. 8.

bitur puer meus. Et cap. 20. 21. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei*, ideſt, præcipe. *Quare* hoc loco LXX. vertērūt, *Et præcepit Ceto.* Bellua ergo illa, Dei præcipientis nutui obediens, quemadmodum creata omnia, etiam rationis, & ſenſus expertia, conditoris ſui imperium ſentiunt, Ionam ad littus ſanum, & illæſum euomuit. Animaduertit Palacios; piſcem (cum tam magnæ eſſet molis, & terræ appropinquare non poſſet) ad Ionam euomendum prius hauſiſſe ingentem aquæ copiam, qua eminus illum in continētem proiecit. Probabile id certè eſt.

¶ Sed quid quæſo obſtat: Quin Cetus profundum aliquem ſinum petiuerit, vnde terræ adhærens, vatem in ea relinquere valeret? Sunt, qui exiſtiment, piſcem poſt Ionam euomitū, protinus interijſſe. Nam tam prope, inquiunt, terræ acceſsit, vt deinceps propter ingentem corporis magnitudinē, & exiguam maris profunditatem, ita hæſit in littore, vt inde ſe mouere non valens, mortuus fuerit. *Quod*, an veri habeat ſimilitudinem, neſcio: niſi velint figuram cum veritate per ipſam expreſſa, omnimodè adæquare: Et ſicut Chriſtus, cuius Ionas fuit typus, à mortuis reſurgens, deſtructa morte, infernum (in quo triduo eius anima diuinæ perſonæ vnita extitit) ita expoliauit, ac deuicit, vt nullam poſt hac ſanctos viros deglutiendi poteſtatem habeat: Ita etiam piſcis, qui mortis, & inferni imaginem gerebat, Iona viuo reddito, mori debuit, tāquam nulli amplius vſui futurus.

¶ Quodnam vero Geographicè loquendo, fuerit littus illud, incertum eſt. Diuinare tamen coguntur interpretes. Ioſephus enim lib. Antiq. 9. cap. 11. aſſerit, fuiſſe littus Ponti Euxini. Quam ſententiam ſequuntur Ioannes Cathardus, Iſidorus Clarus, & alij. Sunt, qui

existiment fuisse prope Seleuciam, ad fines maris Syriaci, eo quod ex mari Ioppeo, vbi naufragium Ionæ contigit, ad Seleuciam per littora Cypri, breuis, & facilis sit via. Ex Ioppe vero ad extremum Ponti Euxini littus, iter est longissimum, multisq; ambagibus, & anfractibus plenissimum. Hanc opinionem amplectuntur Palacios, & Ribera in hunc locũ. Genebrardus vero in Chrono. Iosepho adhærere videtur, cum de Iona sic ait: Tharsum fugit, ad declinandam sibi impositam vaticinandi Asyrijs prouinciam, ideſt, vrbem Ciliciæ, per mare Mediterraneũ. Iosepho, & Augustino, vt inde littoribus Ponti Euxini eiectus sit: deindeque pedibus Niniuen contulerit: vel in Indiæ Regionem per mare Rubrum, vnde ad littora sinus Persici, vel Niniues, quæ erat ad Tygrim se se infundentem sinui Persico à Ceto euomitus sit. ¶ Hac tametsi de re nihil certi affirmari queat, equidem illud vt verosimillimum, & valde probabile ausim afferere, id littus fuisse (quam fieri potuit) Asyriæ proximum: hoc enim magis est consonum diuino consilio, quod Asyriorum salutem tantopere curabat, vt omnem moram tollendam esse vellet. Quare cum hæc miracula omnia, peculiari Dei dispositione gererẽtur, quis ambigit, quin in eam littoris oram decreuerit Ionam eijci, ex qua facilius, & breuius posset Niniuen adire? Et quamquam potuisset repẽte, ac sine anfractu, vel labore vllo, eo mirabiliter deduci, vt de vate Abachuco legimus, quem capitis capillo arreptũ, subitò per aëra Angelus Dñi Babylonem ad Danielem cibandum detulit: Noluit tamen Deus id Ionæ concedere; vt & longi itineris molestia, ac defatigatione, intelligeret, quam chara Deo esset hominum salus, & eã Niniuitis, quodãmodo promereri studeret. Quod etiã congruebat mysterio, vt suo loco dicemus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

ET factum est verbum Dñi ad Ionam secundo, dicens: Surge, & vade in Niniuē ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abijt in Niniuen iuxta verbum Dñi: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierū. Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuite in Deū: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorē. Et peruenit verbum ad regē Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentū suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principū eius, dicēs: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam nō bibant, & operiantur saccis homines, & iuméta, & clamét ad Dñm in fortitudine, & cōuerta-

uertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi cõuertatur, & ignoſcat Deus: & reuertatur á furore iræ ſuæ,& non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam loquutus fuerat,vt faceret eis,& non fecit.

ARGVMENTVM CAPITIS.

LIBERATVS Ionas, ac lucem aſpiciens; iterum iubetur á Domino Niniuẽ adire, eiuſque incolis vaticinari. Qui ſtatim diuino præcepto obtemperans,ingreſſus Niniuen, cœpit alta voce, quæ Dominus iuſſerat, prædicare. Niniuitæ omnes,eius clamoribus cõmoti,pœnitentiam agunt; Deiq́ miſericordiam,& gratiam ſibi conciliant.

Commentarius.

¶ ET factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundo, dicens: Vade in Niniuen,&c.)

HOC loco particula,(ET) rerum geſtarum ſeriem, & ordinẽ docet: cum primum enim Ionas in terra expoſitus eſt, nulla requie, nullaque mora interpoſita, iterum iubetur recuſatam hactenus legationem, capeſſere. Qua in re diuini

conſilij

consilij erga hominum salutem constantia, atque sedulitas apertissime conspicitur; cum imminens Niniuitis, ob eorum crimina exitium, quam citissime pœnitentia, & vitæ correctione declinari Deus adeo vellet, vt Ionas nullam moram, nullam cunctationē, facere permitteretur. Sed protinus ab eo, in quem euomitus fuerat loco, cogitur Niniuen recta contendere, diligenterque suum officium obire. Id significant verba diuina. *Surge, & vade.* Quæ vt initio cap. 1. diximus) omnimodam designant celeritatem, & diligētiam. Quodnam autem esset vaticinium à Iona denunciandum, statim videbimus. Animaduertit hoc loco D. Hieron. in eo etiam splēdescere eximiam Dei erga Ionam patientiam, atque bonitatem; quod ipsi non exprobrauit fugam, & inobedientiam, nec verbis acribus corripuit tātam animi proteruiam; sed tantummodo imponit eamdem prædicandi prouinciam: Alioquin, inquit Hiero.) Superfluum est delinquenti seruo, post plagas velle imputare quod fecit, cum huiusmodi correptio, non tam emendatio sit, quam exprobratio. ¶

¶ ET surrexit Ionas, &c.)

IAM tot, ac tantis diuinæ iustitiæ, atque miserationis experimētis Ionas eruditus, & cautior redditus, nullo pacto se excusat, nec recusat Dei iussis obtemperare: sed celerrimē, ac lubētissime iter arripiens, Niniuen se contulit.

¶ ET Niniue erat ciuitas magna itinere triū dierum.)

IN Hebræo sic habetur: *Ciuitas magna Deo, vel ipsi Deo.* Qua loquēdi phrasi apud Hebræos vsitata, quę magna

Dei, dicitur, quæ magna sunt.

magna sunt dicuntur, Dei, vt Psalm. 36.7. *Iustitia tua sicut montes Dei*, ideſt, ſicut, altiſsimi mõtes. Et Psal. 79. 11. *Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius Cedros Dei*, hoc eſt, proceras valde. Item Psal. 64. 10. *Flumen Dei, repletum eſt aquis*, ideſt; Flumina maxima. Singulare ponitur pro plurali. 1. Paralip. 12. 22. *Sed, & per ſingulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei vſq; dum fieret grandis numerus, ſicut exercitus Dei*, hoc eſt, maximus. Geneſ. 23. 6. *Audi nos Domine Princeps Dei es apud nos*, ideſt, magnus, & excellens. Vt interpretantur Vatablus, Oleaſter, & alij. Tum etiam, Exod. 9. 28. *Orate Dominũ, vt deſinant tonitrua Dei*, ideſt, maxima horribilia. 1. Reg. 26. 12. *Quia ſopor Domini irruerat ſuper eos*, ideſt, maximus. Et ſimiliter hoc loco, dicitur Niniue ciuitas magna Deo, ad eius exaggerandam magnitudinẽ. Hęc tamen expoſitio, quam ſequuntur fere omnes recẽtiores, nõ placet Franciſco Riberæ: *Quoniam*, inquit, *genitiuus Dei*, cum ita accipitur, vt ipſi dicunt, non additur adiectiuis nominibus, ſed ſubſtãtiuis, vice adiectiui: vt exempla indicant, quæ adduximus: montes Dei, Cedri Dei, exercitus Dei: Hic autem adiectiuo additur: Ciuitas magna Deo. Deinde quoniam LXX. non verterunt, Ciuitas magna Dei, ſed, Ciuitas magna Deo. ¶ Hæc Ribera. Ex cuius ſententia diuerſa eſt Phraſis, qua aliquid dicitur eſſe, Deo, in dandi caſu, ſignificatque idem, quod coram Deo, vel in conſpectu Dei. Quare Chald. hoc loco vertit: *Ciuitas magna coram Domino*. Et eodem modo noſter interpres Geneſ. 10. 9. *Et erat robuſtus venator coram Domino*. Hebr. LIPHNE IEHOVAH, ideſt, *In conſpectu Domini*. Et Geneſ. 13. 13. Vbi nos legimus. *Homines autem Sodomitæ, peſſimi erant & peccatores coram Domino nimis*. In Textu Hebræo ſic habetur: LAIHOVAH, *Ipſi Deo*, LXX. autem, & Chaldæus

Coram Deo quid ſignificet in ſacris litteris.

Geneſ. 10. 9.

Geneſ. 13. 13.

Pſal. 36.

Pſal. 79.

Pſal. 64.

1. Para. 12. 22.

Geneſ. 23

Exod. 9. 28.

1. Regum 26. 12.

Chaldæus verterũt, vt noſter interpres: *Coram Domino.* Hinc patet ſenſus verborum Dauidis. Pſal. 50. 6. *Tibi ſoli peccaui.* Ideſt, coram te, vel te ſolum conſcio, cum alios peccatum meũ latuerit, quod ſtatim explicat verbis ſequentibus: *Et malum coram te feci.* Sic exponunt R. Dauid, Vatablus, Genebrardus, & alij. Quamobrem idem prorſus eſt in ſacris litteris, *Deo*, quod (*coră Deo*, vel, *in conſpectu Dei*) ſoletque apponi ad ſignificandum aliquid re vera tale eſſe, quale aſſeritur. Cum etenim Dei iudicium falli nõ poſsit, id quod Deo, vel in oculis Dei, magnum dicitur, proculdubio re vera, & ſimpliciter, tale eſt; tametſi aliter hominum oculis, & iudicio videretur. Vt Luc. 1. 15. *Erit enim magnus coram Dño.* Ideſt, re vera magnus. Quo etiam pacto intelligenda ſunt loca ſuperius ex Geneſi adducta: *Erat robuſtus venator coram Domino.* Ideſt, re vera erat robuſtus. Sodomitæ erant peccatores coram Domino. Hoc eſt, re vera erant peccatores. Quamquam aliter forte nõnulli opinarentur: Ita hic locus: Erat Niniue ciuitas magna Deo, hunc habet ſenſum: Re ipſa ciuitas magna erat, nõ ſolum hominum, ſed etiam Dei iudicio, & æſtimatione. Quam explicationem amplectitur etiam Emmanuel Sa in ſuis Notationibus. Immo, & Theoph. ipſi adhærere videtur in hæc verba: Grandis erat, Niniue magnitudine, ac propterea, apud Deum quoq; ingens erat, plurimique faciebat eius ſalutem; vt qui non parum multos in ea homines finxiſſet, quos omnes ſeruatum iri vellet. Eadem fere dicit Theodoret. Quaſi propterea non apud homines tantum, ſed etiam apud Deum, ingens eſſet Niniuitarum vrbs, quod illorum ſalus Deo curæ, valdèque chara eſſet: cum non ſemel, ſed iterum, atq; iterum Ionam ad ipſis prædicandũ deſtinarit; atq; idcirco tot tantiſq; vſus ſit miraculis, atq; prodigijs.

Pſal. 50. 6.

Luc. 1. 15.

¶ Sed

¶ Sed offert se statim dubitatio: Quare noster interpres, silentio præterierit particulam, *Deo*, quæ tãti erat momenti ad ingentem Niniues magnitudinem describendam? Respondet Ribera, in nostra Vulgata interdũ subticeri dativum illud, *Deo*, vbi nihil obesse sensui videtur, ideſt, vbi id, quod coram Deo, dicitur esse tale, sine controversia tale quoque est corã hominibus. Vnde hoc loco, cum illis verbis, quę statim sequuntur: *Itinere trium dierum*, tam eximiæ ciuitatis Niniues magnitudo ostendatur, vt existimari proculdubio oporteret, etiam apud Deum talem esse. Noster interpres merito potuit particulam, *Deo*, silentio obuoluere, quam non solet prætermittere, vbi aliter iudicare poterant homines, atq; Deus. Vt Gen. 14. 19. *Benedictus Abraham Deo excelso.* Chald. *Coram Deo excelso.* Nam homines cum viderent Abraham absque liberis huc illuc vagantem, existimare possent non esse eum re vera benedictum, neque Deo gratum. Sic etiam exponit Vatabl. *Deo excelso*, ideſt, *apud Deũ excelsum.* Quasi dicat: Valdè fauet Deus Abrahæ, qui dedit ei tantam victoriam, tam paruis copijs instructo, aut: Deus Altissimus commendatissimum habet Abraham. Et Lucæ. 24. 19. *Qui fuit vir propheta potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.*

Genes. 14 19.

Luc. 24. 19.

¶ Quam fuerit admiranda Niniues magnitudo, non modo sacrarum litterarum ipsam maximopere celebrãtium testimonio; verum etiam exterorum scriptorum auctoritate constat, asserentium fuisse omnium in toto terrarum orbe conditarum vrbium maximã, atque præstantissimam. Vnum tamen audiamus Diodorum Siculum præclari nominis Historiographũ lib. 3. Vbi Niniæ Assyriorum regis primi, ac Monarchæ potentissimi res gestas cõmemorans, sic scribit: Verum cum superiores omnes

Niniues magnitudo.

Strabon. lib. 16. Herod. li. 1. & 2.

ōmnes gloria,& rebus gestis superasset;vrbē quoq; ingentē cōdere statuit, cui par magnitudine,neq; fuisset antea, neq; esset futura. Ipse coactis vndiq; viribus, & ijs, quæ ad totū opus spectarent, paratis,supra Euphratem, vrbem condidit; non æqua laterum dimensione, nam duæ muri partes longiores erant reliquis; horum latus,quodlibet longitudine,est stadiorum centū quinquaginta, breuiores vero stadijs nonaginta. Qua muri dimensione ambitus stadia complectitur quadringēta octoginta. Et sane spe sua nequaquā frustratus est,nulla enim postmodum vrbs tanto ambitu,tantave mœniū magnificentia constructa est. Altitudo murorum pedū est centum, latitudo, qua tres currus simul perambularent, turres mille & quingentæ, quarum altitudo pedū est ducentorum. Habitare eam coēgit maiori ex parte Assyrijs, & quidem potentiores ex reliquis nationibus voluntarios assumpsit, à nomine suo vrbem Ninam appellās: agros propinquos habitatoribus diuisit. ¶ Hactenus Diodorus. Ex quibus apertè cōspicitur magnifica admodum, atque excellens pulcherrimæ huius vrbis constructio. Consentiuntque valdè Diodori dicta, cum ijs,quæ hoc loco affirmat Sacra Scriptura. Nam si quadringēta,& octoginta stadia, quibus Diodorus Niniues ambitū comprehendi asserit,ad milliaria geometrica redigamus, sexaginta proculdubio inueniemus, quæ leucas gallicas efficiunt viginti; iter sane triū dierum, si sit pedibus obeundum,præsertim à Iona,qui vicatim præconem agens, vrbem totam erat perlustraturus. In eo tamen videtur lapsus Diodorus, quod Niniuen, supra Euphratem amnem constituit, cum ex cæteris omnibus historiarum scriptoribus, compertum habeamus, iuxta Tygrim fuisse constructam. Plin. natur.Hist. lib. 6. capit. 13. Fuit, inquit,Ninus impositā Tigri

Xenophō. in Acq. Arrian. lib. 8. Plin. lib. 6.cap. 13 Diod. lib. 3. cap. 1.

Tigri ad Solis occasum spectans, vrbs quondam clarissima. Quod etiã ex sacris litteris licèt colligere, nam
Thob. 6. in lib. Thob. cap. 6. legimus Thobiam iuniorẽ ex Niniue in Mediam proficiscentem, primo ipso itineris die, ad Tigrim accessisse pedum abluendorum gratia. Vnde liquet, maxima vrbis Niniues cum Tigri flumine propinquitas, cum inde ad Euphratem ingentia terrarum spatia interessent. Verumenimvero, si tanta erat huius vrbis magnitudo, atque præstantia, quo tempore à Nino fuit condita; Quantã fuisse credendum est hac Ionæ tempestate, cum ab ipso Nino huc vsque plus mille ducẽti anni interceserint? Quibus maius multo accepisse incrementum, nulli dubium esse debet. Nam (vt experimento compertũ est) quæ vrbes sunt, vel fuerunt maximæ, non nisi temporis tractu in summam amplitudinem, atque nominis celebritatem deuenerũt. Nec desunt ex prophanis auctoribus, qui non tãtam Niniuc in sui exordio tribuant maiestatem. Xenophon enim asserit non valdé ingentem à Nino extructam, Tetrapolim tamen fuisse. Cui sanè aduersantur reliqui omnes scriptores, Niniues magnificentiam, atque pulchritudinem mirum in modum extollentes, adeò vt quouis tempore fuisse omnium vrbium maximam, ac præstantissimam, assouerent. In eo tamen quod Tetrapolim illam appel-
Genes. 10 11. lat, cum Sacra Scriptura consonat, quæ Genes. 10. 11. ita ait: *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale, Resen quoque inter Niniuen, & Chale, hæc est ciuitas magna.* Vbi quatuor veluti Colonias ad vnam, & eamdem ciuitatem spectãtes videtur recensere, videlicet; Niniuen, plateas ciuitatis, (Hebr. REHOBOTH, à verbo RAHAB, hoc est, dilatare, eo quod ibi maxima esset latitudo.) Chale, & Resen, quas non asserit plures esse ciuitates, sed vnam dumta-

dumtaxat, cum post illarum enumerationem, ait. Hæc est ciuitas magna. Ex illis, scilicet, quatuor colonijs, seu vrbis partibus constans, quorum potior, ac maior, conditoris nomine insignita fuit, & deinceps ad reliquas, eadem appellatio deriuata. Quamobrem non mihi videbitur à vero multum discedere, qui dixerit, non statim fuisse hanc vrbem muris circumdatam, sed quãdo noua incolarum, ædificiorum accessione, in eam excreuit magnitudinem, amplitudinemq; vt ipsam fortibus, ac latis mœnibus cingere, glorioßsimum Ninus duxerit; ficq; post annos plures, vel ab ipsomet Nino, (vt omnes fere scriptores affirmant) vel eo vita functo, ab ipsius vxore Semiramide, vt D. inquit, Cyrillus lib. 1. & 3. contra Iulianum, mœnibus fuisse munitam, & decoratam, existimare possumus. Nec verò contra Xenophontis sententiam de Niniuitica magnitudine, militant illa Sacræ Scripturæ verba Genes. 10. 11. *Hæc est ciuitas magna.* Cum ea scripserit Moses, habita ratione temporis, quo ipse degebat, non quo Niniue condita fuit. Est enim hic mos in diuinis litteris frequentißimus, vt multa per anticipationem enarrentur. Præter quam quod, fuisse eam Nini tempore, omnium aliarum vrbium clarißimam, & amplißimam, non dubito; tametsi deinceps ætatum plurimarũ decursu, maior multo atque potentior effecta, tam illustri sacrarum litterarũ encomio celebrari meruit. Iam, quod aliqui Ethnici scriptores aiunt, Niniuen, seu Ninum, vt ipsi loquuntur. in Aturiæ campis constructam fuisse, non est contrarium ijs, quæ hactenus diximus. Est enim Aturia idem quod Assur, vel Assyria, diuerso tamen idiomate, nam Hebr. dicitur *Assur*, Chaldaicè vero *Athurah*, mutatione, scilicet, litterarum *Sein*, & *Thau*, quod frequens est in his duabus linguis, vbi communi vtuntur *Genes.* 10

dictione, vt nix, Hebraice vocatur *Seleg*, Chaldaicē dicitur *Theleg*, & similiter, bouem Hebræi vocant *Sor*, Chaldæi, *Thor*.

¶ ET cæpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei.)

NON recta (aiunt Theodoretus,& Theoph.) Iter per vrbē faciens, sed fora, vicos, cōpita circumcursans, denunciabat.] B. Hierony. censet, Ionā, tam sedulo, ac diligenter Deo obtemperasse, vt trium dierum iter, vnius diei prædicatione consummauerit: At ille (inquit Hieron.) præcepti, & superioris naufragij memor, viam trium dierum,vnius diei festinatione compleuit. Quamquā sint, qui ita simpliciter intelligant, quod in tertia tantum parte vrbis prædicauerit: & ad reliquos cōfestim prædicationis sermo peruenerit.] Ex his duabus opinionibus; quas refert Hieron. quamquam ipse in priorem videatur inclinare, posteriorem magis probabilem, & vero consentaneam, existimo. Nam id sanè esset miraculo proximum, quod Ionas triduanū iter, vno tantum die,per vicos,& cōpita discurrens,perfecerit: præsertim, cum non esset illi, magnopere festinandum;sed sæpius oporteret eum consistere; ac moram aliquam facere concionando. Nec est, quod miracula perperā comminiscamur. Deinde, ipsum non vnico die totam vrbem peragrasse, indicant verba apertissima: *Et cæpit Ionas introire ciuitatem, &c.* Si enim totam eo die percurrit,non cœpit introire. Denique hæc sententia magis congruit Christi Dñi verbis Matth. 12. 41. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam,quia pœnitētiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquā Ionas hic.* Quasi dicat: Viri Niniuitæ barbari

An Ionas totam vrbē lustrauerit prædicando.

Matt. 12 41.

bari, nullaque veri Dei religione instructi, vnica Ionæ prædicatione, quam nullo edito miraculo, in tertia tantum vrbis parte habuit, ad exactissimā pœnitentiā conuersi fuerunt: & ecce ego multo maior, & excellentior Iona, cum ipse servus, ego Dñs sim, generationi huic populoque Iudæorum, non semel, sed sœpissime, multoque tempore prædicans, atq; doctrinam meam innumeris miraculis cōfirmans, nusquam auscultor, nec vllum ab eis pœnitentiæ fructum reporto. Quod autem Ionas, vnius diei prædicatione, fuerit cōtentus, videtur indicare Theoph. dum ait: Neque enim totam vrbem circumire Prophetā necessum erat: verum simul vnius diei iter profectus est, prædicans, vt ista prædicatio, ad omnes perferretur, atq; ad ipsū vsq; regē perueniret. ¶

¶ ET clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.)

HAEC fuit vaticinij, atq; prædicationis summa; post dies quadraginta Niniuen subuertēdam, soloque æquandam fore. Adhuc Hebr. GHOD, cum de tempore agitur, valet idem qupd, post, Oseæ cap. 1. 4. *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel*; Idest, post modicum. Exod. 17. 4. *Adhuc paululum, & lapidabit me*; Idest, post paululum. Aggæi 2. 7. *Adhuc vnū modicum, & ego cōmouebo cælum.* Hoc est, post modicū tēpus. Ita hoc loci: *Adhuc quadraginta dies*; Idest, post quadraginta dies, vel finitis quadraginta diebus. Chald. *Post finem quadraginta dierum.* Hebr. NEHPACHETH. *Et Niniue subuersa est.*

Adhuc in sacris literis idē quod post. Oseæ 1. 4. Exod. 17. 4. Aggæi. 2. 7.

NOnnullæ hoc loco se offerunt quæstiones; & in primis grauis illa admodum, atque difficilis, circa numerum horum dierum. Nam LXX. verterunt: *Adhuc tres dies*; cum tam aperte in Hebræo Textu sit; adhuc

huc quadraginta dies, vt mira Divo Hieronymo videatur tantæ diuersitatis occasio: eo quod, nulla sit litterarum, vel dictionum, aut syllabarum similitudo, quæ ansam præbuerit LXX. viris vertendi, tres dies, pro, quadraginta. Vnde nonnulli argumentum desumunt, ad ipsorum editionem impugnandam. Sed audiamus Hieronymum: Trinus numerus (inquit) qui ponitur à LXX. non conuenit pœnitentiæ, & satis miror cur ita translatum sit, cum in Hebræo, nec litterarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit vlla communitas, tres enim dicitur SELOS, & quadraginta ARBAHHIM, alioquin, & de Iudæa tanto itinere missus Propheta in Asyrios, dignam suæ prædicationis pœnitentiam flagitabat, vt antiqua, & putrida vulnera, diu apposito curarentur emplastro, &c. ¶ Hæc Hieronym. Nec tamen nodum huius dubij soluit. Sed D. Augustin. apud quem, LXX. Editio tamquam diuini Spiritus afflatu confecta, fuit semper Sacrosancta; vt eam hoc loco ab erroris nota vindicet, ad mysticum sensum confugere, & in hunc modum philosophari cogitur: Si ergo, inquit, à me quæritur, quid horum Ionas dixerit, hoc puto potius, quod legitur in Hebræo: Quadraginta dies, & Niniue subuertetur. LXX. quippe longè posterius interpretati, aliud dicere potuerunt: quod tamē ad rem pertineret, & in vnū eumdemq; sensum, quamuis sub altera significatione, concurreret, admoneretqué lectorem, vtraque auctoritate non spreta, ab historia se se attollere ad ea requirenda, propter quæ significanda historia ipsa conscripta est. Gesta sunt quippe illa in Niniue ciuitate, sed aliquid etiam significauerunt, quod modum illius ciuitatis excedat, sicut gestum est, quod ipse Propheta in vētre Ceti triduo fuit, & tamen

lib. 18. de Ciuitate, Cap. 44.

& tamen alium significauit, in profundum inferni triduo futurum, qui Dominus est omnium Prophetarum. Qua propter, si per illam ciuitatem, rectè accipitur Ecclesia Gentium propheticè figurata; euersa scilicet, per pœnitentiam; vt qualis fuerat iam non esset; hoc, quoniam per Christum factum est, in Ecclesia Gētium, cuius illa Niniue figuram gerebat, siue per quadraginta dies, siue per triduum, idem ipse significatus est Christus: per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem suam, & ascendit in cœlum: per triduum vero, quia die tertio resurrexit, tamquam lectorem nihil aliud, quam historiæ rerum gestarum inhærere cupientem, de somno excitauerint. LXX. interpretes, ijdemque Prophetæ, ad perscrutandam altitudinem prophetiæ: & quodammodo dixerint: In quadraginta diebus ipsum quære, in quo & triduum poteris inuenire; illud in Ascensione, hoc in eius Resurrectione reperies: Propter quod vtroque numero significari cōuenientissimè potuit, quorum vnum per Ionam Prophetam, alterum per LXX. interpretum prophetiam, tamen vnus, atque idem Spiritus dixit. ¶ Hactenus Augustinus, qui idem prorsus scribit quæst. 169. in Genes. At vero cum hic, non de mystica significatione, sed de litteræ veritate indaganda, agatur, & necesse sit Ionam, vel tres dies dixisse, vel quadraginta, vel vtrumque, aliter alij LXX. versionem defendere conantur. Iustinus enim Martyr in Dialogo cum Triphone affirmat, LXX. transtulisse: Adhuc quadraginta tres dies, quem sequitur Melchior Cano lib. 11. de locis, capit. 12. ad 12. asserens; Hos quadraginta tres dies, ab initio Ionæ prædicationis, esse computandos: ita vt toto triduo esset vaticinium denuntiandum, & deinceps quadraginta dierum spatio pœnitētia

peragenda, vel eo finito Niniue ſubuertenda: idcirco autem in Textu Hebraico haberi: Adhuc quadraginta dies, vel quia mos eſt apud diuinam Scripturam, maiorẽ numerum, minore tacito, recenſere; vel quia facer auctor meminit ſolum temporis ad pœnitẽtiam conceſsi. LXX. vero in ſua translatione, etiam tridui Ionæ prædicatione conſummendi, mentionẽ facere voluerunt. Cæterum huic ſententiæ valdè repugnat, quod in omnibus exemplaribus LXX. interpretum, tàm veteribus, quàm recentioribus habetur; *Adhuc tres dies.* Quam lectionem ſequuti ſunt omnes feré antiqui Græcæ Eccleſiæ Patres. Nec Iuſtinus aſſerit ſe in aliquo Codice legiſſe: *Adhuc quadraginta tres dies.* Quamobrem alia ineunda via eſt, ad LXX. interpretes erroris macula liberandos. Dicimus enim non potuiſſe viros illos Hebraicæ, Græcæque linguæ peritiſsimos, in re tàm perſpicua, tantiq; momenti, hallucinari; nec aliter vertiſſe, quam in Hebræo volumine ſcriptum erat; ſed incuria illorum, qui primi deſcripſerũt ex Codice in Ptholomæi Philadelphi bibliotheca recondito, ſatis probabile eſſe, errorem hunc in reliquos Codices irrepſiſſe. Tres enim pro quadraginta poſuerũt. Ita ſentit Theodoret. cuius hæc ſunt verba: Hos, dies, Aquila, Symmachus, & Theodotiõ quadraginta interpretati ſunt, ac cum his Cyrus, & Hebræus conueniunt: & appoſitè hunc numerum habent. Etenim partim tribus diebus, omnem vrbem concionando obiuit; partim Niniuitæ pœnitentiam illam laborioſam Deo obtulerunt; partim pro foribus conſidens, prophetiæ finem moratus eſt. Quare mihi videtur, illud: Quadraginta dierum, verius eſſe, ac vero proximum eſt ſeptuaginta cum his congruentem numerum poſuiſſe; ſed, qui primo ſcripſerunt in hoc erraſſe, deinde in omnia exempla hãc Editionem

tionem permanasse.] Ita Theodoretus. Quem adeò sequitur Theophyl. vt non sententiam modò, sed eadē verba prorsus imitatus. Obseruādum hic, ait, quod reliqui interpretes; Quadraginta dies, pro tribus, dixerunt; ac quosdam, seu conuenientem numerum, hunc recepisse. Si quidem in tribus diebus, ille primum totā vrbem circumiuit; deinde laboriosam illam pœnitentiam Nineuitæ Deo obtulerunt; postea ante portas vrbis sedens Propheta prophetiæ suæ finem expectauit. Hinc, & quadraginta dierum spatium verius esse dicūt. Atqui verisimile est LXX. primum, quadraginta fuisse dies, ac eos, qui principio descripserunt errasse postea, & incuncta exemplaria errorē esse trāsfusum.] Quod autem LXX. interpretum exemplaria, olim maxime corrupta, atque vitiata essent, testis est locupletissimus B. Hieron. pluribus in locis, & præcipuè præfatione in Pentateuchum, in Paralipom. & Esdram. in epist. ad Suniam, & Fretellam. Idem etiam affirmat Iustinus in Dialogo cum Triphone. Et de hac re fusius disserit Cardin. Bellarm. tom. 1. lib. 2. cap. 6. in fine. Nunc autem quam fieri potuit emendatissima, auctoritate Sixti V. Pontificis Max. in lucem prodierunt.

¶ Secunda Quæstio est, circa huius vaticinij effectum: Quonam pacto hæc sunt verba Dei, qui nec mētiri, nec falli, nec mutari potest; cum post quadraginta dies vrbs non fuerit subuersa? Huic quæstioni facilè respondere possumus, cum Nicolao Lyrano super cap. 18. Deuter. in hunc modum asserente: Prophetica reuelatio, est quædā impressio cognitionis diuinæ, facta in mente Prophetæ, futurum autem cōtingens, dupliciter cognoscitur à Deo: vno modo pro vt intuitus diuinæ cognitionis fertur super præsentiam ipsius, licet futuram, eo quod intuitus diuinæ cognitionis mensu-

ratur æternitate, quæ complectitur omne tempus: & quod sic præcognoscitur futurum, infallibiliter euenit: Alio modo secundum ordinem causæ ad effectum, scilicet, pro vt contingens futurum est in causa variabili, & contingente: & quod sic præcognoscitur, non semper euenit, quia aliquando mutatur causa, & per consequens effectus. Impressio autem diuinę cognitionis fit in mẽte Prophetæ, secundum formam voluntatis diuinæ. Quandoque igitur in mente Prophetæ imprimitur cognitio alicuius futuri contingentis primo modo, scilicet, provt intuitus Dei fertur super illud, & quod sic à Propheta denunciatur futurum, infallibiliter euenit; & vocatur talis prophetia à Doctoribus, prophetia prę destinationis. Aliquando autẽ in mente Prophetæ imprimitur cognitio futuri secundo modo, videlicet, secundum ordinem causæ variabilis ad effectum, & quod sic denunciatur à Propheta, non semper euenit, propter mutationem causæ. Et hoc modo fuit de prophetijs prædictis: Infirmitas enim Ezechiæ erat dispositio ad mortẽ, & malitia Niniuitarum meruerat ciuitatis subuersionem, tamen propter preces Ezechiæ, & pœnitentiã Niniuitarum, facta est mutatio causarum, & per consequens effectuum; & talis prophetia vocatur à Doctoribus prophetia comminationis; quia sub intelligitur conditio, vt pote, quod Ninive subuerteretur, nisi Niniuitæ pœniterent: Et quod Ezechias moreretur, nisi per preces deuotas, prolongationem vitæ impetraret. Et sic factum est. Ex quibus patet quod Isaias, & Ionas falsum non prædixerunt. Hæc Lyranus iuxta D. Tho. doctrinam in 4. dist. 46. q. 2. ar. 3. Quæstiun. 2. ad 3. & in cap. 34. Isaiæ. Sed fusius, ac luculentius lib. 3. cont. Gent. capit. 154. vbi sic ait: Cognitio autem, quæ de futuris habetur ex reuelatione diuina secundum gratiã prophe-

prophetalem, est omnino certa, sicut & diuina præcognitio est certa: nō enim Deus præcognoscit futura solum, pro vt sunt in suis causis, sed infallibiliter, secundum quod sunt in se ipsis. Vnde & cognitio prophetica per eumdē modum datur homini de futuris cum certitudine perfecta: Nec tamen hæc certitudo repugnat contingentiæ futurorum, sicut nec certitudo scientiæ diuinæ, vt supra ostensum est. Reuelantur tamen aliquando aliqui futuri effectus Prophetis, nō secundum quod sunt in se ipsis, sed secundum quod sunt in causis suis; & tunc nihil prohibet, si causę impediātur, ne perueniāt ad suos effectus, quod etiā prænūtiatio prophetiæ immutatur, sicut Isaias prophetauit Ezechiæ ægrotāti: *Dispone domui tuæ, quia morieris, & nō viues.* Qui tamē sanatus est. Et Ionas Propheta prænūtiauit, *quod post quadraginta dies Niniue subuerteretur:* nec tamē subuersa est. Prænuntiauit enim Isaias mortē futurā Ezechiæ secundū ordinem dispositionis corporis aliarū causarū inferiorum, ad istum effectum: Et Ionas subuersionem Niniuæ, secundum exigentiam meritorum. Vtrobiq; tamen aliter euenit secundum operationem Dei liberantis, & sanantis. Sic igitur prophetica denuntiatio de futuris, sufficiens est fidei argumentum. Quia licet homines aliqua de futuris præcognoscant, non tamen de futuris contingentibus est præcognitio cum certitudine, sicut est præcognitio prophetiæ. Etsi aliquando fiat Prophetæ reuelatio secundum ordinem causarum ad aliquem effectum, simul tamen, vel postea, fit eidem reuelatio de euentu futuri effectus, qualiter sit immutandus. Sicut Isaiæ reuelata fuit sanatio Ezechiæ, & Ionæ liberatio Niniuitarum. ¶ Huc vsque Angelicus Doctor Diuus Thomas.

NON

NON est audiendus Origenes Hom. 16. in Numer. vbi super illud cap. 23. *Non est Deus quasi homo,* *Num.* 23 *vt mentiatur, &c.* Huiusmodi pertractans quæstionem 19. asserit; non præcepisse Dominum Ionæ hæc verba denuntiare: Adhuc quadraginta dies, &c. Sed Vatem illa ex se ipso addidisse ad Niniuitas deterrēdos. Hoc enim falsum esse, ex ipsomet Textu constat apertissimè; qui sic habet in fine huius cap. *Et vidit Deus opera eorū, quia cōuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam loquutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Hæc autem malitia nihil est aliud, quam vibia exitium, atque subuersio, quam fuerat comminatus. Hoc igitur absque dubio Dominus iniunxerat Ionæ, apud Niniuen proclamare. Alioqui non erat cur Vates tantopere iratsceretur, cum Deum, Niniuitarum pœnitentia placatum, vrbemque incolumē, nec mali quidquam passam, conspiciēs, ac quasi cum Deo expostulans, aiebat: *Ob-* *Capit.* 4. *secro Domine, numquid non est hoc verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerē in Tharsis: scio enim, quia tu clemens, & misericors es, &c.* Perinde ac si diceret: Nō me fefellit opinio, nec male de tua in homines pietate cōiecturam feci, quam exitu ipso, cōfirmatam video. Nam cum primum me ad prædicādum Niniues subuersionem destinasti, mecum ipse reputaui, te statim eius incolarum lachrymis, & clamoribus placādum, flectendumq; ad miserationem: Noui enim quam sis clemens, patiens, atque ad ignoscēdum procliuis. Quamobrem, stante vrbe, ne ego tamquam fallax Vates iudicarer, hancque mendacij notam prophetico muneri inuri paterer, nolui tibi morem gerere, sed maturrime in Tharsum fugam arripere. D. Athanas. to. 3. in Passionem, & Crucem Domini, hac de re copiosè differens, affirmat, ipsummet vaticiniū Dei Opt.

& Max.

& Max. consilium,& eximiam in Niniuitas pietatem,& beneuolentiam præ se ferre; libet Athanasij verba in medium proponere, sunt enim notatu dignissima: Hic mihi (inquit) forsitan aliquis de Niniuiticis rebus ita percunctationem faciat. Si sermo Dei iusiurãdum est, eo quod, quæ dicat, vera sint, & non mentiatur; qui, quæso, factum est, vt cum dixisset: Adhuc tres dies,& Niniue subuertetur, nõ impleuerit sermonẽ? Ista enim videntur cum superioribus pugnare. Verumtamen non mentitur Deus. Absit, neq; eis sermo incompletus mãsit: humanitate enim iram suam retudit, magisque pœnitentia Niniuitarum, quam præcedentia peccata respexit. Neque sermo Dei talis erat, quasi post triduum subuertẽda esset Niniue; sed quod ad triduum eos sustinere vellet, vt in dilatione triduana, aut pœnitendi haberent facultatem, aut postmodum, eius sæuitiem exciperent. Quid enim, inquit Propheta? Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur. Nam omnino ita factum fuisset, sed adhuc tres dies,& subuertetur, vt in eo verbo (adhuc) tolerantiam Dei intelligeremus, & in subuersione, iram, post ipsius tolerãtiam futuram, nisi resipiscerent. Alioqui nisi hoc ita se habuisset,& vt homines pœnitentiam agerent ad triduum distulisset, quid quæso, Numini impedimento erat, quo minus illos citra illud spatium disperderet? An imbecillitas quæso? Absit, vt hoc vmquam in mẽtes nostras veniat: Dominus enim virtutum fortis est,& potens Deus. An scilicet ignorantia earum rerum? Ne hoc quidem dicendum est: nouit enim omnia antequam fiant. Quid igitur reliquum est, quod cogitemus? nisi longanimitatẽ, & humanitatem Domini? Cuius, quia Propheta conscius erat, primum in fugam se dedit, cum in eam legationem mitteretur semetipsum his verbis excusans: O

Domine

Dñe, numquid hæc mea verba non fuerunt cum adhuc essem in terra mea? atque ideo est, quod præoccupauerim fugam in Tharsos, eo quod nossem te misericordem, & miseratorem esse, mansuetum, & multæ misericordiæ, & tuam ipsius sententiam mutantem in destinatis malis. Fugit igitur Ionas non tamquam contradicens Numini, mœrebatque, non quod læta res fuisset perditio Niniuitarũ: sed hoc ipsum ideo faciebat, quia Niniuitæ illi curæ essent, timebat enim ne vanus apud ipsos haberetur, ac fide in posterum careret propheticus sermo, ideo videlicet, in mœrore fuit ne refutaretur à Domino, ea quæ res omnibus Niniuitis comperta foret, nõ quidem, quod falsa essent, in verbis Prophetæ, sed quod Deus misericors esset, ideo iam ipsis veniam concessam esse nouerat, in verbo, (*Adhuc*) Dei mansuetudinem latere, eamque consuetudinem esse scripturæ, Deum vbi longanimitatem suam ostendere concupiscit, eam per hoc verbum, *adhuc*, solere significare. Vt cum dicit per Ieremiam: *Adhuc, inquit, contendam vobiscum in iudicio.* Verbo autem (*adhuc*) designat suam bonitatem, & tolerantiam, dicit enim: *Peragrate insulas Chetim, & in Cedar mittite legatos, & videte.* Nisi mansuetè, & longanimiter agere vellet non admonuisset eos, non iussisset peragrare, & peragrando discere ex cõtrarijs boni comparationem, discrimenque. Certè vbi iam non vlterius longanimitatem, sed iram præsentem, hominũ facta prouocant ibi ad istum modum sua verba concipit: Non amplius feram, inquiens, peccata vestra. Atq; ita, per hoc verbum, *adhuc*, quod hic positum est, clare significat suam erga Niniuitas mansuetudinem, & verborum veritatem; quandoquidem impossibile fuisset, Deũ vaniloquum esse, vbi quid dicit, atq; adeò vbi quid vult.] Hæc omnia Athanasius.

Ieremi. 2. 9.

¶ Demum

¶ Demum hoc loco quæri poteſt: An Ionas præter illa verba: Adhuc quadraginta dies, &c. alia prædicauerit? Ego ſane cum Theophyl. ſentio, multa alia cõcionando fuiſſe à Iona expoſita. Cum enim Niniuitarum crimina, atque flagitia, quibus Diuini Numinis irã in ſe incitauerant eſſet correpturus, iuxta Dei præceptum dicentis: *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia eius coram me.* Probabile eſt, Ionam plurimis acerrimiſque verbis, in illorum ſcelera inuectum fuiſſe? Quin etiam mihi probabile admodum videtur, illis enarraſſe totam legationis ſuæ, & naufragij hiſtoriam, vt ipſis vaticinaretur, Deique conſilium aperiret. Quod colligi poteſt ex illis Chriſti verbis, vt ſuperius attigimus, Luc. 11. 30. *Sicut fuit Ionas ſignum Niniuitis, ita erit, & filius hominis generationi huic.* Chriſtus vero nõ ſolum ſua prædicatione ſignum apud Iudæos fuit, ſed etiam ſua admirabili paſſione, atque à mortuis reſurrectione. Quæ quidẽ myſteria, illis fuerunt notiſsima: ita etiã Ionas, qui Chriſti expreſſam geſsit imaginem, non ſolum Niniuitis concionando, verum omnia etiam illa miracula, atque beneficia, quibus affectus fuit, exponendo, maximum extitit portentum, atque prodigium. Paulus de Palacios cenſet, initio ſuæ prædicationis, Ionã nihil aliud proclamaſſe, quã illa verba: Adhuc quadraginta dies, &c. ſed deinceps magno hominum ad ipſum audiendum concurſu facto, illis expoſuiſſe reliqua omnia, quæ diximus. Probabile hoc eſt, valdèque rationi conſentaneum. *Cap.* 1. 2. *Luc.* 11. 30.

¶ ET

¶ ET crediderunt viri Niniuitæ in Dñm.)

HOC iam loco, describitur Niniuitica pœnitẽtia, & singularis ad Deum conuersio. Id sanè fuit omnium miraculorũ maximum: Eo enim spectabant, omnia prodigia hactenus gesta, vt scilicet, Niniuitæ, relicta immani feritate, atque Idolorum cultu, ad Deum verum conuerterentur, suaque scelera deplorarent. Quamobrem (cum Augustꝰ. teste;) iustificatio impij maius sit opus, quam Cœli, & terræ creatio, quis non videt in hac admirabili pœnitẽtia, diuinam potentiam, atq; miserationem, maximopere elucere? Nam innumeros ampliſsimæ huius vrbis incolas, fœdisſimæ Idolorum veneration, atque omni vitiorũ generi deditos, vnius Ionæ prædicatione, adeo fuisſe cõmotos, vt statim in Dei amorem, atque peccatorum detestationem, inflãmarẽtur, opus profectò fuit diuinę Maiestati digniſsimũ, atq; in omnem æternitatẽ, summis laudum præconijs celebrandum. Neque enim dubium esſe potest, quin hæc vera fuerit conuersio: Et cum iustificationis initium, & quasi ianua, sit fides, sine qua impoſsibile est placere Deo; propterea dicitur: *Et crediderunt viri Niniuitæ in Dominũ.* Sanctespagninus, Vatablus, & Tigurina vertunt: *Et crediderũt viri Niniuitæ Deo.* Ideſt, (vt exponit Vatablus) crediderunt prædicationi Ionæ; qui Dei erat nuncius. Chald. *Crediderunt verbo Domini.* Noſter vero interpres, magis accedit ad Hebraicam lectionem, quæ sic habet: *Et crediderunt viri Niniuitæ in Elohim*, ideſt, in Dominũ. Tametsi enim in sacris litteris, eumdem sensum habeant hæ loquutiones, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, nonnihil tamẽ discriminis, quoad modum significandi inter eas constituit D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 2. & in

Tract. 72 in Ioãnẽ, to. 9. Vide D. Th. 1. 2. quæſ. 113. ar. 9 & in Ioãnem Cap. 14. l. 3.

& in epist. ad Rom. cap. 4. lect. 1. vbi affirmat: Credere in Deum, maiorem præ se ferre mentis affectum erga Deum. Quare hoc loco cum tanta, ac tam potens fuerit in horum hominum cordibus concitatio in Dei cultum, & dilectionem, proprius aptiusq; vertitur: *Et crediderunt Niniuitæ in Deum.* Merito etiam hic vsurpatur nomen Dei, Elohim, hac etenim appellatione, Deus Op. Max. totius mundi Iudex, rector, atq; gubernator ostenditur. Quo pacto non ab Hebræis tantum, sed alijs etiam nationibus, obseruatus fuit; vt ex multis Sacræ Scripturæ locis cõstat, præsertim Genes. 31. 50. *Si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas, nullus sermonis nostri testis est absq; Deo* (Elohim) *qui præsens respicit: Quod si ego tumulum transiero pergens ad te, aut tu præterieris malum mihi cogitans, Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos.* Genes. 31. Iob etiam vir in regione Hus positus, hoc nomine cõmendatur; *Quod erat timens* (Elohim) *Deum, & recedens à malo.* Iob. 1. 1. Aegyptios quoq; tametsi immani Idolorũ superstitione implicatos, Deũ, tamquam mundi opificem, atque hominum iudicem, & gubernatorem coluisse, illa Iosephi, Aegyptium se se simulantis ad fratres oratio, aperte demonstrat: *Facite* (inquit) *quæ dixi, & viuetis, Deum* (Elohim) *enim timeo.* Genes. 42. 18. Sexcenta eiusmodi testimonia ex sacris litteris adduci possunt, quibus appareat manifeste, sub huius nominis Elohim, propria significatione Deum fuisse, à Gentibus cognitum, atque cultum.

QVæritur vero: An Ionas aliqua portenta, seu miracula ediderit coram Niniuitis, ad ipsorum animos permouẽdos? Signa enim (vt inquit Paul.) Ethnicis exhiberi solent, ad fidem de Deo faciendam. 1. Corin. 14. 22. Atque ita Moses, missus à Deo ad Pharaonem, vt cum eo de populo Israelitico dimittẽdo ageret, signa, & prodigia Exod. 3. perpe-

perpetrãdi potestate donatus fuit. Christus etiam Seruator noster, præter ea, quæ ipsi ingẽtia perfecerat miracula, Apostolis suis toti mundo Euangelium evulgaturis, signa faciẽdi, maximam contulit facultatẽ. Quare cum Ionas ad prædicandum Gentilibus Niniuitis, Dei cognitionem, & cultum legaretur: verbum suum, seu potius Dñi, signis, & miraculis confirmaturum fuisse, non absre existimare possumus: præsertim, cum hæc legatio Niniuitica, typus, & symbolum quoddam fuerit Euangelicæ legis, Gentibus omnibus patefaciendæ: His tamen rationibus non obstantibus, dicimus: Ionam apud Niniuen nulla edidisse miracula. Nam præterquã quod non in sacro Textu vllum verbum, seu vestigium signorum appareat; ob id fuit, tam eximia, tamque merito diuinis laudibus commendata Ninivitarum pœnitentia; quod vnica viri ignoti prædicatione, nullo roborata signo, ad veram suorum flagitiorum detestationem, Deique timorem maximum, statim, nulla mora adhibita, exarserunt. Sic enim Christus: *Viri* (inquit) *Niniuitæ surgent in iudicio cũ generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* Christus autem plusquam Ionas fuit plurimis de causis, & eo etiam, quod Ionas prędicans Ninivitis nullo vsus est miraculo, Christus vero prædicans Iudæis innumera, atque maxima miracula egit. Ita Beda sentit super illa verba Christi Lucæ. 11. Viri Niniuitę, &c. Ionas paucis diebus prædicauit, ego tanto tempore: ille Assyrijs genti incredulæ; ego Iudæis populo Dei; ille peregrinis, ego ciuibus; ille voce loquutus simplici, nilque signorum faciẽs acceptus est, ego tanta signa faciens Beelzebub calumniam subeo.] &c. Hæc Beda. Ijsdem adstipulari videtur manifestè S. Petrus Chrysologus serm. 37. explicans eadem verba

Matth. 12 41.

Luc. 11.

verba : Merito ergo (inquit) surgent Niniuitæ in iudicio, & condemnabunt illam generationem, quia illius vnius Prophetæ naufragi, aduenæ, ignoti, præconio, corriguntur: isti post virtutes tantas, mirabilia tanta, cũ toto resurrectionis coruſco, ad fidẽ non veniũt, ad pœnitentiam non mouentur. ¶ Quare Ionas, etsi non edidit signum vllum, stupendum tamen fuit signum (teste eodem Christo) ipsis Niniuitis, quibus vt iam supra diximus, tota innotuit nauigationis Ionęæ ratio. Hebræi interpretes affirmãt; Ionam Niniuitis aperuisse omnia, quæ sibi contigerant, tàm in naui, quàm in Ceto, &c. Quod etiã innuit D. Irenæus lib. 3. aduer. hæres. c. 22. Quod enim maius excogitari potuit prodigium, quam à Ceto hominem deuoratum, vivum cõseruari, ac post tres dies integrum vivumq; euomi? Idcirco hæc Niniuitarum mutatio, præcipue tribuenda est præpotentis Dei misericordiæ, illorum virorum mentes efficaci auxilio excitantis, atque à vitiorum barathro, ad iustitiæ viam traducentis.

¶ ET prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis á maiori, vsque ad minorem.)

QVAMQVAM Niniuitæ Dei vindicis iram, tot tantisque sceleribus in se concitatã, & imminentem, valdè extimuerant; talem vero de eximia diuinæ pietatis erga homines propensione, existimationem habuerunt, vt ipsam precibus, lachrymis, alijsque pœnitẽtiæ lignis placari posse crediderint. Quamobrẽ ad arma pœnitentię statim accurrere decreuerũt: ieiunium, scilicet, saccum, orationes, vitæ ante actæ detestationem, & melioris institutionem. Propterea se totos ieiunio addicunt, cilicijsq;

induunt: Dignus, inquit, Hieronymus, & victus, & habitus pœnitẽtiæ: vt qui offenderant Deum luxu, & ambitione, eorumdem damnatione placẽt, per quæ prius offenderant: saccus, & ieiunium arma sunt pœnitentię, auxilia peccatorum, ante ieiunium, & sic saccus: ante quod occultum est, & postea, quod palam: hoc semper Deo, illud interdum exhibetur hominibus. ¶ Ita Hieronymus. Qui etiam illud indicat animaduersione dignissimum; quam egregiè in huiusmodi pœnitentia ordo seruat' fit. Præcepit Deus Prophetę: Propheta prædicat ciuitati: prius viri credunt, & illis ieiunium prædicantibus omnis ætas sacco induitur; Viri non prædicant saccum, sed tãtum ieiunium, at vero ij, quibus pœnitentia præcipitur, consequenter ad ieiunium, saccum copulant; vt inanis venter, & habitus luctuosus, ambitiosius Dominum deprecentur. ¶ Quod vero ieiunium ritè, & sanctè susceptum, magnum habeat momentũ ad Dei misericordiam implorandã, plurimis clarissimisq; cùm Veteris, tùm Noui instrumenti exemplis, ac testimonijs constat apertissimè. Quin etiã ab Ethnicis veri Dei cognitione carentibus, maximo semper in pretio fuere ieiunia, ad deorum suorum beneuolentiam promerendam; vt ex prophanis auctoribus colligere licet. A Romanis enim Ioui, certis statisque diebus sacrata fuisse ieiunia, indicat Horatius lib. 2. serm. Satyr. 3.

Ieiunij vtilitas.

Iupiter ingentes qui das, adimisque dolores,
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tyberi stabit.

¶ Hunc vero diem esse Iouis, affirmat Lambinus: Iupiter enim non alio die, quam suo, indixit ieiunium.

Est

Est autem loquendi genus poëticum, pro eo quod est, illo die, quo Consules, & Magistratus ieiunium in honorem Iouis indicunt. Titus Liuius lib. 36. narrat Cereri dicata fuisse ieiunia, his verbis: Eorum prodigiorum causa libros Sybillinos ex S. C. decem viri cum adissent, renuntiarunt ieiunium instituendum Cereri esse; & id quinto quoque anno seruandum. ¶ Idcirco Niniuitæ diuino afflati Numine ad ieiunium tamquam ad sacram anchoram confugientes, ac saccos, vel cilicinas vestes, pretiosis abiectis, se se induentes, eximia pœnitentiæ signa, præbuerunt. Solebant siquidem, qui in luctu, & mœrore versabantur, vel cilicio se amicire, & capita cinere conspergere; vt non solum sacræ litteræ ostendunt, sed exteri etiam scriptores memoriæ tradiderũt. Qua de re, doctissimè differit Iosephus Stephanus Episcopus Oriolanus in 3. cap. lib. 1. Machab. & Franciscus Ribera in Amos. cap. 8. 30.

Vide Alexand. ab Alex. lib. 6. dier. c. 19. & lib. 4. cap. 17.

¶ ET prædicauerunt ieiunium. ¶ Hebr. *Et clamauerunt ieiunium.* Voce, videlicet, præconis, publico enim edicto præceptum omnibus fuit ieiunium. *A maiori, vsque ad minorem.* Hebr. *A magnis eorum, vsque ad paruos eorum.* Hoc est; nemine excepto, nec vlla habita ætatis, vel dignitatis, vel sexus ratione.

¶ ET peruenit verbum ad Regem Niniue.)

FRANCISCVS Ribera in hunc locum existimat præcedentia omnia de Niniuitica in Deum fide, & pœnitẽtia, dicta esse per anticipationem, siue præoccupationem, in Sacra Scriptura (vt supra diximus) admodum vsitatam; ita vt particula (ET) sit causam significans. Hoc modo; Quia peruenit verbum ad

Regem Niniues, &c. Omnes enim pœnitẽtiæ, & luctus huiuſmodi actiones, è Regis præſcripto, & exemplo, tãquam ex capite, & fonte, in reliquum populum dimanarunt. At vero Theophyl. cenſet, antequam ad Regẽ fama prædicationis Ionæ pertingeret, iam viros Principes, & magnates, pro ea, qua fungebantur auctoritate, cæteros ciues, vel maiorem plebis partem, non ſolum exemplo, ſed etiam præconio publico, ad ieiunandum, & ſaccos induendum, perduxiſſe. Sunt enim hæc Theophyl. verba: Poſtquam magnates primi orſi ſunt pœnitentiam, merito celeriter etiam ad ipſum, vſq; Regem perducta eſt fama prædicationis. ¶ Quam opinionem ſequitur Arias Montanus; & equidem veriorem iudico. Nam cum hac in re, non tantum de corporum, ſed etiam de animorum ſalute ageretur, neq; ad Deum conuerſio, atque criminum deteſtatio eſſet differenda, pie ſatis credere poſſumus Niniuitas, confeſtim audita Ionæ cõminatione, nõ expectata Regis voluntate, aut iuſſione, cõmotos fuiſſe ad huiuſmodi præſtãda pœnitentiæ argumenta; accedente præſertim illuſtrium virorum, ac Magiſtratuum ciuitatis auctoritate.

Hier. in Oſee. c. 1. Naucler. 1 p. Chronol. generat. 42. Pined. in ſua Mon. li. 3. c. 28 Palacios in hũc locum. Ado Viẽnenſ. in ſuo Chronico. Chriſt. Caſtro hic & in Chronolo. ſacra.

¶ ET ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimẽtum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in puluere.)

QVISNAM hic Rex fuerit, ſacra Hiſtoria nõ indicat. Ex probatis tamẽ auctoribus * nonnulli, & ſatis probabiliter, affirmant fuiſſe Sardanapalum vltimum Aſsyriorum Regem, cuius nomen proprium aiunt fuiſſe Tonoſconcoleros, cognominatum verò à Græcis Sardanapalum, teſte Methaſtene: Quamuis Genebrardus in ſua Chronologia, aliũ faciat Tonoſconcoleros

coléros à Sardanapalo, neque hunc existimat regnasse tempore Ionæ, sed Sargonem. Sed mihi hac in parte cõmuniorem sequi placet. Perditissimos Sardanapali mores, & luxuriosam cfœminatamq; (supra quã credi possit) viuendi rationem, recẽset Iustin. lib. 1. in hunc modum: Imperium Assyrij, qui postea Syrij dicti sunt, annos M. CCC. tenuere. Postremus apud eos regnauit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hũc vidẽdum (quod nemini ante eum permissum fuerat) præfectus ipsius, Mediæ præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione ægrè obtinuisset, inuenit eũ inter scortorum greges purpuram, colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitie corporis, & oculorũ lasciuia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partiẽtem. ¶ Huiusmodi vitã Monarcha hic agebat, cuius exemplo, in tantam vitiorum corruptionẽ, reliqui omnes ciues processerũt, vt diuinam vltioné iustè meruerint. Quo fit, vt merito laudanda, ac diuino præconio digna sit, eximia Regis huius pœnitentia. Quis enim non maximopere admiretur, Regem potentissimum, & omni lasciuiæ genere deditissimum, statim, audita Ionæ prædicationis fama, tantam homini ignoto, & pauperi, fidem adhibuisse: vt perinde, ac si Deum ipsum, loquentem audiret, aureo solio relicto, proiectis purpureis indumentis, ac demum depositis omnibus, quæ ad regium Maiestatem pertinebant, saccó se operuerit, caput cinere deturparit, & in puluere iacẽs, luctuosissimi, ac calamitosissimi hominis imaginem representauerit. Cõmendatur maxime, & miris effertur laudibus Dauidis Regis pœnitentia, qui (vt sacræ litteræ testantur) simul atq; à Nathano Propheta obiurgatus fuit ingẽti cordis dolore, deflere cæpit patrata scelera: & ieiunãs, humiq; abiectus, in pulvere multos dies consedit. 2. *Regum* 12.

Sed Deum immortalem! Quam dispar Regis vtriusque conditio! Dauid enim vir erat Dei Opt. Max. cognitione instructus, spiritu prophetico ornatus, aliisque per multis, diuinæ beneficentiæ muneribus cumulatus: Rex verò Niniuiticus, barbarus homo, Idolorum cultor, vitiorum omnium sectator, de repẽte mutatus est; taliaque edidit pœnitẽtiæ facinora, vt Dauidicam pœnitentiam, longo interuallo superasse videatur. Quapropter, merito sanè à Divo Ambrosio miris laudibus effertur, dum inquit, enarratione 1. in Ionam: Sapiens Rex, qui pro salute ciuium, peccatorem se magis confitetur esse, quam Regem: obliuiscitur enim se Regem esse, vbi Deum Regem omnium pertimescit: nec potẽtiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit: obliuiscitur ergo se Regem esse, dum proijcit purpurã, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco, ieiunijs perseuerat, orationibus immoratur. Mira res, dum se Regem hominum, esse non meminit, Rex incipit esse iustitiæ. ¶ Verumtamen hæc mutatio dexteræ excelsi, qui in Principe Idololatra, longissimè à pietate abhorrente, profusissimas suæ misericordiæ opes voluit ostentare. Sed ordinem, & modum tantæ mutationis inspiciamus. Primum enim propheticę prædicationis tuba, ipsius auribus insonuit, cum dicitur: *Peruenit verbum ad Regem Niniue, fides (sane) exauditu*, vt inquit Paulus. Mirabile satis est, quo pacto Ionæ vaticinium audire potuit, Rex tam abditus, atque à consortio ciuium alienus, vt à nemine, nisi à suis meretricibus se videri, & alloqui permitteret. Ego ita censeo, tantam populi, Ionæ minis, deterriti vociferationem fuisse, vt ad Regis vsque aures peruaserit. Qui quidem rei indagandæ gratia, ex intimis erupit penetralibus, & certior factus, confestim surrexit de solio suo; *Et abiecit vestimentum*

Rom. 10. 17.

mentum ſuum à ſe. Hebr. *Et tranſire fecit pallium ſuũ magnificum deſuper ſe.* Vox enim, ADERETH, ſignificat pallium prætioſum, coccineum, piloſum, quali vti ſolent Reges, & Principes: Significat etiam magnificẽtiam, Regiumq; ornatum; ita quod Rex, quidquid magnificum, ſplendidum, Regiaque Maieſtate dignum geſtabat, procul abiecit; ſeque in tantam humilitatem demiſit, vt pro gemmeo diademate, cinerem capiti imponens: pro coccinea veſte, ſaccum induens; pro aureo ſolio, in puluere iacens; veræ, & fructuoſæ pœnitentiæ, egregia documẽta præſtiterit. Sedere autem in ſacris litteris, dolorem luctumq; denotat, vt Pſal. 126. 2. *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Threno. 1. *Quomodo ſedet ſola Ciuitas plena populo.* Iob. 2. 13. *Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus.* Oſeæ. 3. 4. *Quia multos dies ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, &c.*

Sedere, quid ſignificat in ſacris litteris.

Pſal. 126
Threñ. 1. 1
Iob. 2. 13
Oſea. 3. 4

¶ ET clamauit, & dixit in Niniue, ex ore Regis, & Principum eius dicens.)

NON modo tàm illuſtri exemplo, ſed publico etiam edicto, populum ſibi ſubditum ad pœnitentiã prouocauit. Quare coacto Principum, & Optimatum cõcilio, matura decernitur deliberatione, quid in re tanti momẽti factu opus ſit. Non fuit profecto ſegnis Rex hic, in procurãda ſuorum ciuium ſalute, quin protinus audito excidij nuntio, ſurrexit de ſolio: (Surgere enim, vt ſupra diximus, maximam indicat ſolertiam) ac reliqua egit, quæ hactenus vidimus: Et ne qua in re, ſuo muneri deeſſet: neve præcipiti ſententia vti videretur, congregauit illuſtriũ, & ſapientũ virorum cœtum, remque ad eos detulit; id

quippè edicti tenor indicat, & ipsa Hebræa vox ZAGHAK significare videtur, quæ idem est, quod clamare, vociferari, cõuocare, congregare: concilia verò, in magnis præsertim vrbibus, publico præconio, & clamore conuocari solent. *Et dixit in Ninue ex ore Regis*, &c. Hebr. Ex gustu, seu volutate. TAGHAM, est sapor, gustus, beneplacitum, consilium. Quare hoc loco innuitur edictum stabile, ac nullo pacto violandum; quod omnium procerum suffragijs fuerit decretum. Videre sane iuvat Regem hunc, qui antea vitiorum omnium doctor extiterat, factum iam pœnitentiæ speculum, & magistrum; mirumque in modum suæ plebis incolumitati consulentem. *Et Principum eius.* Hebraicè, VGEDOLAV. Et magnorũ eius, siue magnatum eius; vt etiam Hispanicè dicimus, *los Grandes*, quorum suprema est apud Regem auctoritas, & rerum agendarum potestas.

¶ Homines, & iumenta, & boues, & pecora nõ gustent quidquam, nec pascantur, & aquã non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta, & clamẽt ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorũ.)

HAEC series, & summa edicti, per præcones in tota vrbe proclamati, & sanè prudentissimi: Tria enim eo præcipiuntur, quæ ad veram pœnitentiam spectant, videlicet: præteritorum criminum dolor: Diuinæ misericordiæ imploratio: & corporis afflictio. Dolor præscribitur illis verbis: *Et conuertatur vir à via sua mala, &c.* Cordis enim

ènim cõtritio (teste Ambrosio) in eo sita est, vt peccator, cõmissa flagitia, ex animo defleat, atque in posterũ proponat ab omni vitiorum genere abstinere; quod est, conuerti à via mala, per cordis, scilicet, cõtritionem, & manus ad iniquitatem nõ admouere, per honestæ vitæ studium. Diuinæ misericordiæ inuocationem, innuunt illa verba: *Et clament in fortitudine.* Siue validè, & fortiter, erumpente ex intimis visceribus voce; is namque clamor á Deo exaudiri solet, qui ex vero cordis dolore proficiscitur: Iuxta illud Psal. 118. 145. *Clamaui in toto corde meo exaudime Domine.* Quod explicans D. Augustinus ait: Est autẽ clamor cordis, magna cogitationis intentio, quæ cum est in oratione magnum exprimit desiderantis, & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. ¶ Denique corporum afflictio præcipitur, dicendo: *Homines, & iumenta, boues, & pecora nõ gustent quidquam, &c.* Ieiunium enim, & saccus, insignia sunt pœnitentiũ, vt supra diximus; maximèque ad corporis excruciationẽ, & pro delictis satisfactionem, pertinent. Sed consultissimè iumenta, & boues, & reliqua animalia rationis expertia, coguntur etiam ad ieiuniũ, seu inediam, sitim, & saccum. Tametsi enim nihil eiusmodi cõmeruerant (cum peccare non possent) sed tota delictorũ moles in homines ratione vtentes, incumberet; nihilominus tamen, quia nisi ipsi resipiscerent, animalia quoque excidio erant disperdenda, merito cautum est, vt ipsa quoque à pabulo, & potu amouerentur, & saccis operirentur. Quorum namque commune erat exitium, commune etiam decebat esse remedium. Verum enimvero, cum animantia omnia facta sint propter hominem, ipsiusque obsequio mancipata, deleto, vtique homine, ipsa etiam deleri necesse est:

Psal. 118 145. *Aug. cõc. 29. in Ps.* 118.

Sicut

Sicut è conuerſo, ſaluis hominibus, iumenta quoque incolumitate potiuntur. Iuxta Dauidis ſententiã Pſal. 35. 8. *Homines, & iumenta ſaluabis Domine*, &c. Quæ ita exponit Theodoretus: Vſque ad iumenta, tua benignitas peruenit; & non modo homines, verum etiam ea, quæ propter homines facta fuere nutris.] Quod manifeſtiſsimis patet ſacrarũ litterarum exemplis; ac præſertim illa totius humani generis clade, per cataclyſmũ illata, qua vna cum homine, animalia cætera, cunctaq; ſub cœlo viuentia, aquis ſubmerſa interierunt; dicente Deo: *Delebo hominem, quem formaui à facie terræ ab homine vſque ad animantia à reptili, vſque ad volucres cæli.* Quæ verba explanans D. Chryſoſto. in hunc modum philoſophatur: Forte dixerit aliquis; Quare cum homo in malum declinauit, etiam bruta eamdem pœnam ſuſtinent? Num propter ſuum ipſorũ vſum, producta ſunt bruta? Propter hominem facta ſunt: Hic igitur cum è medio auferatur, quis illorũ vſus eſſet? Id circo, & iſtã pœnam cõmunem ferunt. Vt interim pœnę grauitatem addiſcatis. Et ſicut ab initio cũ peccaſſet Protoplaſtus, terra maledictionem accepit: ſic & nunc, cum abolendus eſſet homo, bruta quoque cladis ſocia fiunt. Sicut etiam cum homo gratus ſit Deo, creatura quoque, humanæ fœlicitatis particeps eſt: quemadmodum B. Paulus inquit: Et creatura hæc liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatẽ filiorũ gloriæ Dei.] Hæc Chryſoſt. Quibus ſimilia ſcribit D. Ambroſ. lib. de Noë, & Arca. Tum etiam Theodoret. quæſt. 50. in Geneſ. paucis rem abſoluens: Et quia (inquit) animalium irrationalium genera, in vſum hominum creata erant, etiam hæc cum hominibus deleuit.] Quare iure optimo, Rex ac Proceres Niniuitici, iubent iumenta, reliquaq; animalia, fame, ſiti, & ſacco, affligi. Nam cum tam ipſorũ, quàm

Pſal. 35. 8.

Geneſ. 6. 7.

Hom. 22. in Geneſ.

Amb. lib. de Noe, & Arca, cap. 10.

quàm hominum vita periclitaretur, æquum profectò erat, vt ijsdem etiam legibus subiacerent. Fuit præterea valdè conueniens, ad homines deterrēdos, & in Dei timorem excitandos: Cui enim non maximum terrorem incuteret, audire tot innumerabilium hominū voces, gemitus, lamenta, vagitus, eiulatus? Tot reliquorum animantium mugitus, balatus, hinnitus, latratus, ac demum horrendos alios clamores, quibus cœlum ipsum contundere viderentur? Iam textum enucleatius perscrutemur. Vox (*homines*) complectitur etiam fœminas, & pueros, infantes, atq; lactentes; quibus fuerunt substracta hubera; ita vt ieiunium, omnibus iniunctum fuerit animantibus, tam rationalibus, quam rationis expertibus. Saccis vero solummodo operta fuerūt vna cum hominibus, ea animalia, seu iumenta, quæ phaleris prætiosis ornari solent, vt equi, & muli; neq; enim credibile est, oues, boues, canes, & id genus animalia, sacco amicta fuisse.

¶ ET clament ad Deum in fortitudine.)

HEbraicē: BEHHAZEKAH, pro eo quod est fortiter. Hebræi quippe, cum non abundent aduerbijs, sæpe pro eis, nomina usurpāt, vt in fortitudine, ideſt, fortiter, in amaritudine, ideſt, amarè. *In fortitudine, idē quod fortiter.*

¶ ET conuertatur vir.)

HEbraicè: Et conuertātur vir, ideſt, vnusquisque, Collectiua namq; dictio, plurali numero gaudet. vt supra diximus. Hæc sane verba edicti, & reliqua, quæ sequuntur, solis hominibus vtriusque sexus adultis, indicuntur, quorum causa, excidium vrbi parabatur.

¶ A via

¶ A via sua mala.)

HOC est, ab impia, & scelerata viuendi ratione, consuetudine, instituto, religione, seu cultu. Hæc omnia cõmuniter in sacro sermone, viæ nomine intelliguntur: Sumpta metaphora à corporali itinere, seu via, quã ita appellamus, quod sæpè iteretur, ac vi, ac pedibus prætereuntium calcari soleat. Hebraicè dicitur, *Derec*, à verbo *Darac*, quod est calcare, pedibus conterere. Vnde quamquis vitæ cõsuetudinem, seu studium, & modum profitetur, merito viam, siue vias nominamus. Vt 3. Reg. 15. 26. *Et fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulauit in viis patris sui.* Psalm. 1. 1. *Beatus vir, qui non abijt in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Ierem. 22. 21. *Hæc est via tua ab adolescentia tua, quia nõ audisti vocem meam.* Idest, consuetudo. Vt vertit Vatablus, & Tigurina, Ezech. 14. 22. *Ecce ipsi egredientur ad vos, & videbitis viam eorum, & ad inuentiones eorum.* Quibus in locis, alijsque innumeris, quæ passim occurrũt in sacris litteris, hoc nomen, *via*, opera quæcumque, mores, studia significat. Ac præsertim sumitur pro religione, & Dei cultu. Exod. 32. 8. *Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis: fecerunt que sibi vitulum conflatilem.* Oseæ 10. 13. *Quia confisus es in viis tuis, & in multitudine fortium tuorum.* Hebr. *In via tua.* Hoc est, vt exponit Hieron. in Idololatria, & falsa spe deorũ tuorum. 1. Machab. 2. 22. *Non audiemus verba Regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mãdata, vt eamus altera via.* Idest, vt Idolatriam amplectamur. Actor. 9. 2. *Et petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres.* Idest, huius sectæ, seu religionis. Quamquam in his locis, & alijs simili-

Via, quid in sacris litteris.

3. *Regum* 15. 26.

Psal. 1. 1.

Ierẽ. 22. 21.

Ezec. 14 22.

Exod. 32 8.

Oseæ. 10. 13.

1. *Mach.* 2. 22.

Act. 9. 2.

similibus per nomen via, seu viæ, quando Deo attribuuntur, possumus intelligere eius doctrinam, legem, præcepta, quorum primum, ac potissimum est de vero Deo colendo; & Idolorum cultu vitando. Deuter. 8. 6. *Vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum.* Iosue 22. 5. *Vt diligatis Dñm Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obseruetis mãdata illius.* Psal. 24. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Psal. 80. 4. *Israel si in vijs meis ambulasset. &c.* Psal. 118. 1. *Beati immaculati in via.* Quo in Psalmo, singuli fere versus, huiusmodi nomen repetunt in hoc sensu. Via sumitur etiam pro cõsuetudine menstrui in fœminis. Vt Genes. 31. 35. *Quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Hebraicè. *Quia* DERE C, via; Idest, *consuetudo fœminarum est mihi.* Verba sunt Rachelis ad patrem. Pro moriendi lege, seu necessitate. Iosue 23. 14. *En ego ingredior hodie viam vniuersæ terræ.* 3. Reg. 2. 2. *Ego ingredior viã vniuersæ terræ.* Idest, morior, iuxta conditionem, & consuetudinem humanæ naturæ. Quo etiam pacto dicere solemus Hispanicè: *Camino que todos hemos de hazer.* Pro more absolutè. Isai. 10. 24. *Ab Assur in virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via Aegypti.* Hoc est, secundum morem, vel consuetudinem Aegypti. Id est: Quemadmodum fecit Aegyptus. Et V. 26. *Et leuabit eam via Aegypti.* Idest, auferet eam, secundum eum morem, quem fecit cum Aegypto. At vero cum actiones omnes, & externa opera (quibus Deus à nobis, vel colitur, vel infensus redditur.) ortum habeant ex interioribus, animi affectibus, & operationibus, hoc loco Ionæ: *Conuertatur vir à via sua mala.* Impias cogitationes, & praua desideria, in primis relinquenda esse præcipitur. Quod fit cum peccatorẽ verè, & ex animo pœnitet

Deut. 8. 6.
Iosue. 22.
Psal. 24. 4.
Psal. 80.
Psal. 118. 1.
Genes. 31. 35.
Iosue 23. 14.
3. *Regum* 2. 2.
Isai. 10. 24.
Isai. 10. 26.

nitet suorum criminum; melioremque vitam instituit.

¶ ET ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.]

OPera praua designantur. Manus enim opera externa significant, vt Iob. 22. 30. *Saluabitur innocens: saluabitur autem in munditia manuum suarum.* Ideſt, per opera mũda. Psal. 23. 4. *Innocens manibus, & mundo corde.* Ideſt, cuius opera sunt bona, & iuxta diuinę legis præscriptum. Frequẽtissima est Sacræ Scripturæ phrasis. Hic vero locus, non solum opera denotat praua, sed ea, præsertim, quæ in proximorum nocumentum perpetrantur *Hhamas*, enim idẽ est, quod rapina, violẽtia, iniuria, quæ palam fit, hoc est, tyrannis, quæ in rapiẽdo consistit à verbo *Hhamas*, quod est rapere vim afferre, iniuria afficere, extorquere; expresse præcipitur, direptorum bonorum restitutio, quæ ad veram pœnitentiam necessaria est. Chald. *Et à rapina, quæ est in manibus suis;* Ita etiam vertit Pagninus.

Psal. 23. 4.

Manus in sacris literis quid

¶ His verbis: *Cõuertatur vir à via sua mala, &c.* Iuxta Gloſ. Interlin. interna, & externa peccata cõprehenduntur, vel peccata in Deum, & in proximũ. In maxima siquidem ciuitate, veri Dei cultu destituta, in qua incolæ, congerendis opibus inhiabant; tam ingentes rapinæ, cædes, iniuriæ à potentibus exercebantur in pauperes; vt illis potissimum Deus ad iracũdiam cõmotus, toti vrbi exitium decreuerit. Vox Hebr. *Hhamas*, inquit Vatab. propriè significat, rationẽ cõgerẽdi opes, & diuitias, per hoc reliqua peccata in proximũ significãtur.

¶ Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?]

ARIAS Montanus facile se expedit ab ijs nodis, quibus hunc locum implicari cẽset, si sine interrogatione legatur, in qua ineſt dubitatio, affirmatque Hebraicè sic legi: *Qui scit conuertatur.* Et puncto cõmate interposito, aliam sententiam sequi, & placabitur

Elohim

Elohim, & reuertetur à furore iræ suæ. Hebr. *Quis scit conuertatur, & pœniteat ipsum Elohim.* Vt sit sensus: Qui sibi conscius culpæ est, ad bonã frugem se recipiat, atq; hoc pacto Deum, natura benignũ, & misericordem placatum iri sibi sperandum credendumq; est. Cæterum cum LXX. Editio, ita habeat cum interrogationis nota; *Quis scit si pœniteat Deum, & auertatur ab ira furoris sui?* Quo etiam pacto legunt Pagnin. Vatabl. & Tigurina, nõ est, quod cum Montano aliam interpretandi rationem quæramus. Quamuis enim in Hebraico Textu nõ sit particula (*Si*) apparet tamen illam esse supplendam. Quod quidẽ peculiare est Hebraicę linguæ, vt sæpissimè propter eius consciſam phrasim, & sententiæ breuitatem, ad eius perfectionẽ, aliqua sint addenda, & præcipuè huiusmodi dictiones: *Si, nisi,* & similes, vt facilè inuenire est in sacris litteris. Vide Cãtapetrensem lib. 10. Hypothip. Sacra vero Scriptura, his loquutionibus, quæ secum afferunt dubitationem sæpe vtitur. Vt Ioel 2. 14. *Quis scit si conuertatur, & relinquat post se benedictionem?* 2. Reg. 12. 22. *Quis scit si fortè donet eum mihi Dñs, & viuat infans?* Act. 8. 22. D. Petrus Simoni Mago ait: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et quod magis mirabile est, etiam cum Deus ad homines loquitur, has dubitandi particulas vsurpat. Ierem. 26. 2. 3. *Noli auferre verbum si fortè audiant, & conuertatur vnusquisq; à via sua mala, & pœniteat me mali, &c.* Ezech. 3. 11. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dñs: Si fortè audiant, & quiescant, &c.* Attamen nõ exiguum, id, scrupulum nobis generat, in Deũ namq; cum sit omniscius, nulla potest cadere ignoratio, seu dubitatio. Neq; etiã Prophe. ta cum diuino afflatus Numine vaticinatur, hallucinari potest, vel hæsitare, in his, quæ sibi à Deo reuelantur.

Si, particula sæpe, in sacris litteris supplẽda.

Reg. 12.

Ioel 2.14

Act. 8.22

Ierẽ. 26. 2.

Ezech. 3. 11.

Ad

Lib. 2. de pœnitent. cap. 4. & 5.

AD huius nodi solutionem docet D. Ambros. in dictione, forte; plerumque nullam esse dubitationem, quod quidem confirmat, non solum Sacræ Scripturæ testimonijs, sed etiam Homeri auctoritate: Deniq́ue, inquit, ipsi sapientes sæculi, qui omnem gloriam suam statuunt in expressione verborum, quod Latinè *fortè* dicimus, Græcè *taxa*, non vbique pro dubitatione posuerunt.] Similiter etiam animaduertit Iansenius super illa verba Christi Matth. 11. 23. *Forte mansissent vsque in diem hanc*; Particulam, *fortè*, nō esse dubitandi, sed confirmandi notam. Vox enim Græca, *An*, quæ ibi habetur, idem significat quod sane, vtique: Sed interpres, ait Iansenius, in Psalmis, & nouo Testamento vertit per fortè, vel forsitan, abutens aduerbio dubitandi, pro confirmandi.] D. vero Gregor. Homil. 9. in Ezechiel. obseruat, quod cum Deus dubitātis more loquitur, vult aliquid significare, scilicet, aut libertatē volūtatis nostræ, cui diuina, vel voluntas, vel præscientia nō imponit necessitatem: Aut difficultatem rei, aut paucitatem facientiū, id de quo est sermo. Si vero homo dubitatiue loquatur, considerandum est, an res sit eiusmodi, vt turpe sit eum dubitare, tunc enim intelligemus, non esse dubitationem, sed potius affirmationem, vt D. Petrus Simonem alloquens, cognita Dei erga homines clemētia, & ipsius Simonis vertibili voluntate, secundum se non dubitauit de remissione culpæ, quæ per veram pœnitentiam pro culdubio condonatur à Deo. Potuit tamen Petrus dubitare an vera, futura esset oratio Simonis, & pœnitentia. An etiā, quod attinet ad pœnam; tantus futurus esset dolor, vt totius pœnæ remissionem mereretur. Vide hac de re fusius Franciscum Riberam in Ioël cap. 2. Alfonsum Salmerō proleg. 11. can. 34. & Ioan. Lorinum in c. 8. Actuum.

Matt. 11. 23.

Actuū. 8.

¶ ET

¶ ET vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala.)

LOCVS ad Dei Opt. Max. misericordiam extollendam aptissimus. *Vidit*, visione, scilicet, misericordiæ, qua Niniuitas tantòpere prosequutus est, vt non modo illorum pœnitẽtiam acceptauerit: verum etiam corda præuenerit in benedictionibus dulcedinis. Eo enim, vt iam dictũ est, spectabant, tot miracula, atq; prodigia, erga Ionam ostensa; vt per externam eius prædicationem, Deo, internè, per suam gratiam, corda preueniente, & excitante, Niniues incolæ, ad Diuini Numinis cognitionem, & veram pœnitentiam perducerẽtur. Vera autem pœnitentia in eo extitit, quod non solum ad ieiunium, & orationem accurrerint; sed etiam peruersis, ac depraua-tis moribus abiectis, & publicis, atque priuatis iniurijs, per condignam satisfactionem, compensatis, ad meliorem frugem, & vitę institutum, se se receperunt. In his duobus cardinibus spiritualis salus versatur, scilicet, vt cõuertatur peccator à via sua mala, hoc est: vt quælibet vitia detestetur; & bonis in posterum operibus incumbat. Propterea dicitur: *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt à via sua mala.* Quæ duo, nisi in nostra adsint pœnitentia, parum habent momẽti ieiunia, fordidæ vestes, clamores, deprecationes, & cætera pœnitẽtiæ signa ad veniã obtinendam. Iuxta illud Isai. cap. 1. 15. *Cum extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini mundi estote, auferte malum, cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse.* Bona enim opera, vna cum interno scelerum odio, egregia sunt veræ pœnitudinis

Vera pœnitẽtia in quo consistet.

Isai. 1. 15.

argumenta. Quamobrem, ipsa vocat D. Ioannes Baptista Matth. 3. 8. *Dignos pœnitentiæ fructus.* His itaq; testimonijs, Niniuitarum pœnitentia, Deo, sæuero cordium, & operum nostrorũ scrutatori, & æstimatori probata fuit. Eam enim habet significationem verbum (*vidit*) hoc est; illorum opera, & studia, tãquam veræ pœnitentiæ argumenta, & venia digna, iudicauit, approbauit, acceptauit. Ieiunium (inquit Theophy.) ipsorum non accepit, sed opera ipsorum, scilicet, bona, quę fecerunt; eo quod declinassent à via scelerata. *Declina,* (inquit Dauid) *à malo, & fac bonum*; Proinde ieiunium non fuit per se sufficiens, vt propitium redderet, & placaret Deum, nisi & mores correxissent, & bona opera exhibuissent. ¶

In hunc locum.

Psal. 36. 27.

¶ ET misertus est Dñs super malitia, quam loquutus erat vt faceret eis, & nõ fecit.)

HEBRAICE: *Et pœnituit Deum super malitia.* Similiter LXX. *Et egit pœnitentiã Deus super malitia, &c.* NAHHAM enim est consolari passiuè, idest; consolationem accipere, pœnitere, animum, vel affectum mutare. Quod fit vel pœnitudine, vel commiseratione, & cõdolentia; vel cum is, qui prius turbatus erat, consolationem accipit, & sic iam lętus fit, & placato animo. Hoc pacto indicat Scriptura, se habuisse Deum, cum Niniuitis, humano loquẽdi more. Siquidem apud eum nõ est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Cum etenim ipsis, ob ingentia crimina, exitium fuisset cõminatus; videbatur, quasi tristi, & perturbato animo esse, donec tandẽ, perspecta eorum ad meliorem frugem conuersione, veluti consolatione, aut lætitia perfusus, sententiam commutauit.

Iacob. 1. 17.

rauit. Hinc videre licet, quam ſit procliuis ad clementiam,& commiſerationem; ita vt illi proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere, Eccleſia Catholica ingenuè profiteatur. Pœnitentiam eorum (ait Theodoret.) gratificatur Deus, per pœnitentiam ſuam. Non quod ſimiliter vt nos pœnitet, modo hoc, modo illud velit Deus, ſed mutationem minarũ, pœnitentiam vocauit. Idcirco enim minatus fuit, ſi punire veller, minas nõ proponeret, ſed potius vltionem acciperet. Verum quoniam conſeruare Deus gaudet, minatur triſtia, ne in nos triſtia inuehat. ¶ D. etiam Hieron. libẽter, ait, mutauit ſententiam, quia vidit opera eorum commutata. Quin poti⁹ Deus perſeuerauit in propoſito ſuo, miſereri volens ab initio. Nemo enim punire deſiderans, quod facturus eſt cõminatur. ¶ Malitia, accipitur pro ſupplicio, & calamitate, quam Deus Niniuitis, fuerat illaturus, niſi pœnitentiam agerent. Malum, ſeu malitia, pro afflictione, ſæpiſsime poni in Scriptura, vulgatiſsimũ eſt, vt 1. Machab. 10. 46. *Quia recordati ſunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Iſrael, & tribulauerat eos valdè.* Matth. 6. 34. *Sufficit diei malitia ſua.* Ideſt, afflictio. Idẽ ſignificat malum, vt doc. Tertull. lib. 2. aduerſus Marcio. Et Damaſcenus lib. 4. cap. 20. Inde dies mali, hoc eſt, laborioſi. Epheſ. 5. 16. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Pſal. 40. 1. *In die mala liberabit eum Dominus.* Ideſt, laborioſa, & afflictionis plena. Eccleſiaſtes. 1. 13. *Hanc occupationem peſsimam dedit Deus filijs hominum.* Hoc eſt, moleſtiſsimam, & laborioſiſsimam. Quæ etiam ſignificatio, apud Homerum vſitata eſt, qui infortunium, & calamitatem KAKOTITA, ideſt, malitiam appellat. Vt Odiſs. 3. & 4.

Malitia, in ſacris literis quid.
1. *Mach.* 10. 46.
Matth. 1. 34.
Dies mala, ideſt, laborioſa
Pſal. 40. 1.
Eccleſ. 1. 13.

CAPVT QVARTVM.

ET afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est: & orauit ad Dominū, & dixit: Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea: propter hoc præoccupaui vt fugerē in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscēs super malitia. Et nunc Domine tolle quæso animam meā à me: quia melior est mihi mors quam vita. Et dixit Dominus: Putasne bene iratsceris tu? Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra Oriētem ciuitatis, & fecit sibi met vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati. Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascēdit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) & lætatus est Ionas super hedera, lætitia magna. Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum

num: & percussit hederam, & exaruit. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti: & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat: & petiuit animæ suæ vt moreretur, & dixit: Melius est mihi mori quam viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: Putasne bene irascéris tu super hedera? Et dixit: Bene irascor ego vsque ad mortem. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam cétum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumenta multa?

¶ ARGVMENTVM CAPITIS.

VIDENS Ionas, Niniuitas conuersos ad pœnitentiam: ac præuidens, Deum ipsis parciturum; magna commotus iracundia, mortē sibi exoptauit. Verum à Domino correptus, & egressus vrbe, secessit in collem, in parte Orientali; vt inde expectaret euentum: ibique confecit sibi tuguriolum, quo se protegeret à solis calore, & Deus subitò hederā produxit

duxit, quã gratum Ionas vmbraculum habuit. Sed cum subito etiam aruisset hedera, & Ionas, solis, ac venti vrentis ardoribus, valde torqueretur; tristitia affectus fuit tanta, vt mortem, vita iucundiorem futuram sibi, iudicaret. Deus vero, exemplo hederæ, ostendit, quanti esset facturus vitam innumerabilium Niniuitarum, á se conditorum; præter iumenta, & pecudes; quandoquidem Ionas ægrè tulit interitum vnius diariæ plantulæ, quam nec ipse protulit, nec crescere fecit.

Commentarius.

¶ ET afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est.

COGNITA Ionas, atq; suis oculis perspecta, Niniuitarum pœnitentia; pro indubitato habuit, Deum ipsis fore propitium; nec cladem, quam cõminatus fuerat, illaturum; præsertim cum id (vt existimo) Deo suggerente, acceperit. Quapròpter tantòpere tædio vitæ, ac tristitia affectus fuit; vt mortem exoptandam sibi esse censuerit. Causæ vero huius mœroris, & afflictionis, eædem sunt, quę illi fugã suaserunt. De quib⁹ superius fusè egimus. Quare, optimè Hieron. Videns (inquit) subintrare gentiũ plenitudinẽ, & illud impleri, quod in Deuter. dicitur: Ipsi me irritauerunt in ijs, qui non sunt dij, & ego eos irritabo, super Gente, quæ nõ est, super natione stulta, eos ad iracundiam concitabo. Desperat de salute Israelis, magno

Deut. 32 21.

magno dolore cõcutitur, qui erumpit in vocem, & cauſas mœroris exponit, & quodammodo loquitur: Ego ſolus electus ſum de tanto numero Prophetarum, qui per aliorum ſalutem, ruinam meo populo nuntiarem. Non ergo conſtriſtatur, vt quidam putant, quod Gentium multitudo ſaluetur, ſed quod pereat Iſrael. ¶ Hãc cauſam tamquam potiſsimam, aſsignat D. Hiero. erat tamen altera non minor; de qua ita loquitur Theoph. Mœrore afficitur Ionas, non tamquam ſeruatis inuidens; nec tamquã interminationibus hominum voluptatem capiens; procul enim hæc à bono, & manſueto ſpiritu (cuius domicilium, & habitaculum erat ille) cæterum, quia periculum erat, ne ipſe etiam mendax reputaretur, quique ceu præſtigiator aliquis fruſtra turbauerat, nõ ex ore Domini loquutus. ¶ Hæ duæ cauſę tamquam duo ſtimuli erant ſemper in corde Ionæ defixi; quibus in hac legatione, adeò excruciatus eſt, vt inobedientiæ præcipitium, & vitæ odium arripere potius coactus fuerit; quam eo fungi prophetandi munere, quo Gentilium ſalus, & Iſrael interitus, ſignabatur. Triſtitiæ huius vehementiam, magis exprimit Hebraicus Textus, qui ſic habet: *Male affecit Ionam malo magno.* Ita vt non leuis aliquis mœror, ſed grauis morbus, & lethalis quidam languor, ex diſplicẽtia ortus, indicetur. Chald. *Et moleſtum fuit Ionæ, dolore maximo.* Pagninus: *Et diſplicuit Ionæ diſplicentia magna. Et iratus eſt.* Hebr. *Et iratus eſt ſibi.* LXX. *Et cõfujus eſt.* Sibi enim vehementer indignatur, quod eam legationem obire debeat, ex qua futuram aliquando, Gentis ſuæ calamitatem, præcognoſcebat. Idcirco ſummo dolore concepto, iucundiorem ſibi mortem, quam vitam fore, exiſtimauit. Qua in re, tametſi ipſum, in iracundiæ, & impatientiæ barathrum, collapſum eſſe videamus, duo

tamen elucent, laude digna: Alterum, quod non irascitur in Deum, neque in proximum, vt solent homines, nimio doloris, & indignationis œstro perciti, sed in seipsum, sibi imputans, quidquid mali, Generi suo accidere posset: Alterum, quod cum tantòpere, eum vitæ pigeret, non sibi mortem inferre ausus est, immo neq; cogitauit; sed aliorum sanctorũ virorum exemplo, optauit potius mortem oppetere, quam videre populi sui excidium. Proinde ad Dñm humiles preces effundit.

¶ Obsecro Domine, numquid non hoc verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis.)

IN eadem persistens sententia, qua iustè se existimat fugisse, ne Niniuitis prædicaret, videtur cum Deo expostulare; quod se ad huiusmodi legationem, & munus obeundum compulerit. Hiero. *Quia*, inquit, ita oratio eius dum se dicit iuste fugere voluisse, quodammodo iniustitię arguit Dominum, querelas suas obsecrationis exordio tẽperat.] *Obsecro Domine.* Verbum Hebrai. ANNAH, ex sententia D. Hieronymi videtur significare blãdientis affectum, quamuis sit interiectio deprecãtis: Quasi voluerit Ionas blandis verbis Dominum delinire, atque ab instituto parcẽdi Niniuitis, auocare. Hocque pacto, Ionæ obstinatio, cum Domini clementia, & bonitate quodammodo certare videtur. *Numquid nõ hoc est verbum.* Quasi dicat: Nõ me fefellit opinio: Vera fuit diuinatio mea: Quamquam enim tu verè, & serio mihi in patria degenti præcipiebas, vt annuntiarem Niniuitis post

poſt quadraginta dies exitium; ego ſemper arbitratus ſum, te cum ſis pientiſsimus, ſtatim vel minimo pœnitentiæ fructu ab eis exhibito, ſententiam reuocaturum; meque, tamquam Prophetam mẽdacem, vel præſtigiatorem aliquẽ, habitũ iri; merito ergo, meo iudicio, fuga potius eligenda fuit, quã tibi obtemperandum. Et ſane non minus ſplendet Dei bonitas, in ferenda Ionæ peruicacia, quam in parcendo Niniuitis. *Cum adhuc eſſem in terra mea.* Hebr. Super terram meam. Quo videtur innuere, quam ſecurè, & ex profeſſo, nihilque tale cogitans, moraretur in patria, in qua, ceu ab ea numquam diſceſſurus, cõſidebat. *Eſtaua muy rehazio ſin penſamiento de ſalir della.*

¶ Scio enim, quod tu Deus clemens, & miſericors es, patiẽs, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia.)

CVM iſtam, inquit, mihi prouinciã prædicandi Niniuitis imponeres, cognoui, quod ipſorum potius ſalutem, quam exitium procurabas; vt quid enim ſi in inipſos ſæuire; eorumq; ſcelera vlciſci, volebas, opus erat quadraginta dierum ſpatium ipſis concedere? Ipſorum ergo incolumitati conſulebas, non quærebas perditionem. Perſpectam enim habeo, tuam erga homines clementiam, amorem, benignitatem, atque miſericordiam indicibilem. Tam eximiam Ionas de diuina bonitate, atq; clementia animo, conceperat opinionem, vt nullis eam verbis ſatis poſſe explicare videatur: Idcirco tot vtitur nominibus, & epithetis. Similia ſunt, quæ habentur Ioël capit. 2. 13. *Quia benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* *Ioël.* 2. 13.

Sed

Sed oportet singula verba expẽdere. *Scio enim.* Hebraicè in præterito; *Cognoui.* Ostendit antiquam, longoque tempore, & diuturna experientia confirmatam, de diuina bonitate, & clementia cognitionem, se habuisse: nõ recentem, leuibusve coniecturis comparatam, *Deus clemens.* Hebr. EL HHANNVN. Ponitur nomẽ Dei El, quod denotat eius potentiã, & fortitudinem: ostenditque Deum, non ex imbecillitate, aut necessitate, ad tantam se erga homines beneuolẽtiam, demittere; sed quia id, naturæ suæ, bonitatiq; infinitæ, consentaneum est. HHANNVN, quod est, clemens, & à verbo *Hhannan*, quod nõ solum misereri, & parcere significat, sed etiam largiri, donare, gratis dare, rem gratam facere. Quæ omnia in hoc Dei Epithetõ rectè quadrant. Est namque ineffabiliter profusus, liberalis, gratiosus in benefaciendo, & parcendo hominibus. *Et misericors.* Hebraicè, VERAHHVM, & visceratus. Hoc est, amor, *Rahhum*, à verbo *Rahham*, quod significat misereri, amare, diligere. Amor enim radix, & origo est, omnium beneficiorũ: vnde quod Deus in nos sit tam beneficus, & liberalis, ex infinito eius amore promanat.

Ioan. 3. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quare, cum *Rehhem* Hebraicè significet, ipsa viscera, vocãdo Deum, *Rahhum*; innuitur Deum esse hominum amantissimum; seu (vt ita dicam) visceratissimum. Maxima enim amoris, & cõmiserationis affectio, in intimis visceribus solet consistere; quam quidẽ Deo tribuimus inenarrabilem, cum ingentia, in genus humanum, collata beneficia cõtemplamur. Sic Zacharias

Luc. 1. 78. Lucæ. 1. 78. loquitur, dicens: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* ¶ *Et patiens.* Hebraicè EREC APAIM, latus, seu lõgus naribus; Qui non cito irascitur; qui in ferenda iniuria,

est

eſt patientiſsimus: vt è conuerſo iracundum,& ad vindictam propenſum, appellant Hebræi KETSAR APAIM, breuem naribus. Qua etiam phraſi Hiſpanè vtimur, cum de homine ad iraſcendum prompto, dicimus: *Se le ſube el humo à las narizes.* Dei vero patientiam,& manſuetudinem, in diſsimulandis hominũ criminibus,cum vult diuinus ſermo deſcribere,hac vtitur circumloquutione, vocando eum, narium longiſsimũ. Vt dicto cap. Ioel. 2. vbi quod noſter interpres vertit; *patiens*, in Hebræo eſt, *Erec Apaim*, ideſt,longus nares. Et ſimiliter Pſal. 85. 15. Et Exod. 34. 6. Pro patiens in Hebræo ſunt eadẽ verba. *Erec Apaim*, LXX. vero vbiq; longanimis,tranſtulerunt. *Et multæ miſericordiæ.* Quartum Epithetum in ordine. Hebraicè; *Multus in miſericordia*, VERAB HHESED. eſt idem,quod Divus Paulus Epheſ. 2. 4. dixit: *Deus autem, qui diues eſt in miſericordia*, Qui non parcus ſit in miſerendo,ſed adeò profuſus,vt ſummas æſtimet diuitias, miſereri ſemper, & parcere: cuius miſericordiæ theſaurus exhauriri nũquam poterit. *Et ignoſcens ſuper malitia.* Hebraicè,VENIHHAMGHAL HA RAGHAH. & pœnitens,ſeu cõſolabilis ſuper malitia. NAHHAM enim, ſignificat, pœnitere, cõſolari. Vt ſupra diximus. Quod non ſemper, ijſdem verbis, Latinus vertit interpres. Vox autem Hebraica, denotat animum placatu facillimum; quique ignoſcendis ſceleribus, maximum ſolamen,atque voluptatem capiat. Hoc verbo vſus eſt Moſes, Exod. 32. Cum Dominum, pro populo, in quem fuerat cõmotus,orauit; Latinus vero interpres ſic tranſtulit: *Eſto placabilis ſuper malitia populi tui.* Et Ierem. 18. 8. *Agam* (inquit Deus) *& ego pœnitentiam de malo, quod cogitaui facere ei.* Et Ioel. 2. 13. *Præſtabilis ſuper malitia.* Pro eo quod hic dicitur: *Ignoſcens ſuper malitia.* Idem igitur

Pſal. 85. *Exod.* 34

Epheſ. 2. 4.

Exod. 32

Ierẽ. 18. 8.

Ioel. 2. 13.

igitur verbum NIHHAM, nunc placabilis, nũc pœnitens, nunc ignoscens, à nostro interprete transfertur. Omnia enim ista comprehendit vox Hebraica. Immo, nec vllis verbis potest humanus sermo satis exprimere, quæ supradictis nominibus, Dei mores, seu conditionem, significantibus, continentur. *Malitia* autem sumitur, vt supra diximus, pro pœna, seu supplicio in sceleſtos illato, seu inferẽdo. Demum hæc epitheta simul iuncta, quæ hoc loco, & alijs Sacrarum litterarum habentur, quodammodo nobis innuunt, & quasi ob oculos ponunt, quis, qualisque sit, Deus, Opt. Max. erga homines: ostenduntque eius naturam liberalissimam, & ad gratioſè benèfaciendum propensissimam, viscerib⁹ amantissimis præditam; ad iram tardissimam, ad lenitatem facillimã, quæ peccata hominum, diu propter pœnitentiam dissimulet; cui nullus in miserendo sit finis, sed adeò affluenter misericordiam suam omnibus impertiat, vt ea in re, maxime diuitias suas spectari velit; atque adeò ab ira, & à nocendi, seu puniendi cupiditate abhorreat, vt in ipsa suæ vltionis actione, & supplicio, quod hominibus infert, quasi dolere videatur; & se exorari libenter sinat, si vere, ac ex animo, ad ipsum peccatores conuertantur.

¶ ET nunc Dñe tolle quæso animam meam á me, quia melior eſt mihi mors, quã vita.)

EXPONIT nimiam animi sui iracundiam, & perturbationem; dum precatur Dominum, vt eum è medio tollat; mortem vita iucundiorem sibi fore existimans. Quasi dicat: Iam tibi Domine morem gessi, meaq; legatione, vt imperasti perfunctus sum; tu vero acerbo animi mei dolori, & magnæ no-

næ nominis mei iacturæ, nullum hactenus remedium attulisti: Qua propter, vnicum mihi restat perfugium, in ipsa morte: Hanc mihi conscisscere, non est fas, cum tu sis, & mortis, & vitæ imperator; sed oro te obnixè, mihi vt vitam adimas; ne ea videam oculis meis, quorum vel sola expectatio, animum vehementer cruciat. Homo miserrimus, & tædio vitæ affectus, maturâ mortem, potiorem, quam vitam ducit: Mortis enim remedio, omnibus præsentibus miserijs, atque ærumnis, imponi finem arbitratur: Is autem affectus, etiam in viros sanctissimos cadit; ac solet esse illorũ, qui suis aut aliorum miserijs, & calamitatibus, adeò præmũtur, vt mortem cum vita commutare percupiant. Ita Elias 3. Reg. 19. 4. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neq; enim melior sum quam patres mei.* Et Tobiæ cap. 3. 6. *Et nunc Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum, expedit enim mihi mori magis quam viuere.* Quamobrem. D. Hieron. & Theoph. Ionam hoc loco excusant, saltem à peccato lethali: mortem siquidem exoptauit, si Deo placuisset, diuinæ se subijciens voluntati. In Hebræo ita habetur: *Quia melior est mors mea, quam vita mea.* In plurali, quo maior tædij, & doloris affectio, videtur exprimi, quasi Ionas, mortẽ vnam, multis vitis, si darentur, prætulerit. LXX. *Quia bonum me mori magis quam viuere.* Chald. *Melius enim est, vt moriar, quam vt viuam.*

3. *Regum* 19. 4. *Tob.* 3. 6.

¶ ET dixit Dñs: Putasne bene irascéris tu?)

VARIE hæc ab interpretibus tranferuntur. In Hebræo ita habetur: *Numquid benefacere iræ tibi?* Chaldaicè. *Nũquid vehementer iraſceris?* LXX. *Si vehementer contristatus es tu?* Pagninus:

nus: *Nonne vehemens ira est tibi?* Tigurina: *Numquid iuste tibi irasci videris?* Interroganter, & quasi admiratiuè hæc à Dño dicta sunt Ionæ; vt illi ostendat quã stolide, & insipienter irascatur, doleat, vitam habeat exosam, mortẽ appetat. Quasi dicat: Nõ benè, sed malè valdè, & iniustè iracundia exardescis; cũ nulla tibi suppetat causa sufficiens, siue ocasio. Nam quod ex mea erga homines charitate, misericordia, & beneficentia, quam tu fateris, & prædicas occasionem sumas, ad huiusmodi iram, & dolorem tuum vehemẽtissimum: Nonne vides quam malè agas? Quantumque rationis, & æquitatis metas transilias? An quia ego bonus sum, oculus tuus vult nequam esse? Nõnè oportuit te tamquam seruum, & prophetam meum, meam æmulari bonitatem, atque clementiam? Quidnam tibi mali ex Niniuitarum pœnitentia, & cõuersione potest cõtingere? Num tu plusquam ego, quæris Israelitici populi salutem, in quem tot tantaque contuli beneficia, cuius gratia innumera, & ingentia edidi prodigia, atque miracula? Vide, quo amentię progressus sis, quando quidem magis tuo, quã meo iudicio, & sapientia inniteris. Hæc ac multa plura existimo hac Domini breui reprehensione cõprehendi. Admirabilis profecto est Dei benignitas, & mansuetudo, qui in tantam Ionæ pertinaciam, non inuehitur, aut animaduertit acritèr; sed blandis illum verbis corripit, interrogans: *Numquid benè iraseeris tu?* Hoc pacto illũ demulcere volens, & ad meliorem mentẽ reuocare. Ita etiam se habuit cum Adamo protoparente post peccatum; quem, cũ vellet sceleris arguere, ita affatus est:

Genes. 3. 9. *Adam vbi es?* Non vbi esset ignorans; sed ipsum hac verborum lenitate ad pœnitentiam inuitans. Adamus tamen Dño respondit, deque suo peccato egit; quamquam se excusans, & culpam omnem in fœminã transfundere

fundere cupiens. Ionas vero nihil respondit. Qua in re eius animi duritas, manifestè conspicitur. D. Hieronym. ait: Deum mollissimis verbis cum Iona agere voluisse, ne ipsum amplius contristaret, cum non sit afflicto dāda afflictio. Et rationabiliter non ei dicit, malè iratus es, vel contristatus es, ne videretur reprehendere contristatum. Nec rursus bene iratus es, aut contristatus; vt vel causas iræ respondeat, vel mœroris: aut si ille tacuerit, verum Dei iudicium ex eius silentio comprobetur.] Hæc Hiero. Similia Theophylactus: Conturbatum, inquit, Prophetam refouet Deus, interrogando, num sit contristatus. Hicque ipsum sibi modicum constituit, excitans considerare, quod iniustè turbatus sit, ac à desperatione ita cesset.]

¶ ET exiuit Ionas de ciuitate, & sedit contrà Orientem ciuitatis.)

THEODORETVS censet, quæ hactenus narrata sunt in hoc cap. 4. posteriora esse, ijs, quæ nunc percensentur. Nam simul atq; prædicationem suam Ionas absoluit, ait Theodoretus, cum recessisse ab vrbe; & in eo loco vbi tugurio cōstruxit, contigisse omnia nuper explicata. Alij tamen, vt, ait Theophylactus, contrariam sequuntur sententiam, asserentes, nullam hic esse hysterologiam; sed cuncta suo ordine narrata esse. Cum enim tam eximiā, conspexisset Vates, Niniuitarum pœnitentiam; habuit, vt dictum est, pro comperto, præsertim, Deo reuelāte, ipsos, incolumes euasuros; nec passuros, denunciatum exitium. Et hæc fuit causa nimiæ iracundiæ, & tristitiæ, Ionæ. Nihilominus tamen existimauit Deum, aliquatenus in ipsos animaduersurum; tametsi eos nō funditus deleret.

deleret. Cognouerat siquidem experimento, Deum sæpe temperasse supplicia, quæ in peccatores comminatus fuerat, nõ verò eos omnino impunes reliquisse; vt constat ex illo nefario Israelitarum facinore, quo vituli simulachrum aureũ, pro Deo in deserto coluerunt; Quibus, quamuis Deus ob Mosis deprecationem placatus fuisset, vt Sacra Scriptura refert, ijsdem verbis, quæ hoc loco habentur: *Placatus est Dominus ne faceret malum quod loquutus fuerat aduersus populum suum.* Verũ non eis plena, & absoluta data fuit impunitas; *Sed percussit Dominus*, inquit Textus, *populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Similiter ergo, cum Niniuitis, à Domino actum iri Ionas arbitratus; præstitutum tempus, expectare decreuit; & idcirco ex vrbe egrediens, in locum cõcessit opportunũ, vnde rei euentum, absq; periculo, posset conspicere. Ibi solis, & æstus arcendi causa, ex herbis, seu calamis, aut alia re quauis, ad id apta, & idonea, constructuit sibi vmbraculum, siue, vt est Hebraicè tugurium, aut tabernaculum; cuiusmodi fieri solet à vinearum, & cucumerum custodibus. Ita sentit Theophylactus: Cum namque, ait, vidisset Propheta, Niniuen vrbẽ non subuerti, mente languit; dein egressus vrbem, ante ipsam sedit, nõ porro euersionem sperans, cæterũ aliam quampiam mitiorem vindictam expectans. ¶ Quod autem in ea vrbis parte, quæ solis ortum expectabat, considere voluerit, causam esse autumat Arias Montanus, quia putauit fore, vt si vrbi diuinit[a] calamitas aliqua inferẽda esset, ab occasu, & meridie veniret; quia in ea mũdi plaga, Israelitica regio sita erat. Eumque Optimus, atque Maximus ille cõmunis totius orbis Elohim protegebat, ac beneficijs cumulabat. Franciscus Ribera nullam aliam rationem assignat huius recessus Ionæ ad Orientalem vrbis partem; nisi

Exod. 32 14.

quod

quod in ea, mons esset aliquis altior, & remotior, vnde meliùs, & tutiùs spectari posset, quidquid ciuitati cõtingeret. Allegoriam suo loco adducemus.

¶ ET præparauit Dñs hederam, & ascendit super caput Ionæ vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum laborauerat enim.]

HEbraicè: *Et præparauit Dñs Deus KIKAION, & ascẽdit desuper Ionam, vt esset vmbra super caput eius ad liberandum eum à malo suo.* LXX. *Et præcepit Dñs Deus cucurbitæ, & ascendit super caput Ionæ, vt obumbraret eum, & protegeret eum à malis suis.* Similiter transfert Chald. Cum Ionas maxima, corporis lassitudine, & animi mœrore cõtabesceret, voluit illum Dñs præsentaneo aliquo remedio recreare; atq; mederi, vt sic omnimodè diuinã suam benignitatẽ, & mansuetudinẽ experiretur; id autẽ præstitit Dñs, subitò producendo hederam virentem; vt vertit D. Hieron. siue cucurbitã, vt LXX. Chal. Pagni. & alij, siue Ricinũ, vt nõnulli ex Rabbinis, quę vnius noctis spatio, tantum creuit, ac dilatata fuit, vt gratissimũ Ionæ vmbraculum exhiberet; ægritudinemq; omnẽ, ab ipso depelleret: id enim significat Hebr. Editio; *Ad protegendũ eum à malo suo*, siue, *à malis suis*. Vt LXX. legunt. Indicat enim Vatẽ, eximio labore prædicationis, & solis ardore, ita fuisse confectum, vt iam grauiter ægrotaret. Quare, Dño ita disponente, tam iocundum, tam opportunum, & salutare, virentis plantæ opacitas, ipsi remediũ attulit, vt sanitate recuperata, cordeq; exhilarato, præ lętitia gestiret, atq; in diuinas laudes incumberet. Id sane innuit, verbum, *Præparauit*. Quod vt supra attigimus denotat sapientissimo Deum consilio, atquæ prouidentia, qua attigit à fine ad finem fortiter, & omnia suauiter disponit,

ponit, hoc mirabili hederæ, seu cucurbitæ remedio, subitò germinantis, adultæ, & expansæ, voluisse Ionam cõmonere, quantã erga omnia creata curam gerat, & præsertim erga hominum salutem; quos ad suam imaginem & similitudinem efformauit.

¶ Quodnam autem genus fruticis, seu plantæ fuerit KIKAION, incertum est; & propterea, alij hederã, alij cucurbitã, alij Ricinĩ transtulerunt. Certè D. Hier. refert se hederã vertisse, imitãdo veteres interpretes, videlicet, Symmach. Aquilã, & Theodotionẽ. Quæ versio tamquã noua, & insolens tãtas apud omnes turbas cõcitauit, vt maximã sibi conflaret inuidiam. Sed audiamus ipsummet Hieron. qui sic habet: In hoc loco quidã Cãthelius de antiquissimo genere Corneliorũ, siue vt ipse iactat de stirpe Asinij Pollionis, dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegij, quod pro cucurbita hederã trãstulerim.] D. etiam August. eum quodammodo videtur reprehendere, quod ausus fuerit Sacra Biblia ex Hebræo in Latinum transferre; hancque suam nouam Editionẽ invulgare. Quo factum est, vt plurimæ, apud Ecclesias, tàm Græcas, quam Latinas, controuersiæ, ac seditiones sint exortæ. Cum enim LXXII. interpretum translatio, tot annorum centurijs apud omnes recepta esset, & tamquam sacrosancta haberetur, nõ potuit Hieronymi versio, non maximas contentiones excitare. Quod quidem Augustinus in dicta epist. manifestè asserit, in hunc modum scribẽs: Ego sanè, te mallem Græcas potius Canonicas nobis interpretari scripturas, quæ LXX. interpretum auctoritate perhibentur. Perdurum enim erit si tua interpretatio per multas Ecclesias frequẽtius cæperit lectitari, quod à Græcis Ecclesijs Latinę Ecclesię dissonabunt, maximè quia facile contradictor cõuincitur Græco pro-

Epist. 10 *ad Hiero.*

co prolato libro, ideſt, linguę notiſsimę. Quiſquis autē in eo, quod ex Hebræo translatum eſt, aliquo inſolito permotus fuerit, & falſi crimen intenderit, vix, aut nūquā ad Hebræa teſtimonia peruenietur, quibus defendatur obiectum. Quod ſi etiam peruentum fuerit, tot Latinas, ac Græcas auctoritates damnari, quis ferat?] Et ſtatim idem Auguſt. exemplum adducit ex hoc loco Ionæ, cuius translatio à D. Hieron. pro cucurbita hederam interpretante, male audiuit. Nam quidam frater noſter (inquit Auguſtinus) Epiſcopus, cum lectitare inſtituiſſet in Eccleſia, cui præeſt interpretationem tuā, mouit quidam longe aliter abſte poſitum apud Ionam Prophetam, quam erat omniū ſenſibus memoriæq; inueteratum. Factus eſt tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus, & inflammantibus calumniam falſitatis, vt cogeretur Epiſcopus (ea quippe ciuitas erat) Iudæorum teſtimonium flagitare, &c.] D. autem Hierony. quamuis ingenuè fateatur, nullum eſſe apud nos vocabulum, quod Hebraico KIKAION reſpōdeat: nihilominus tamen ſatisfaciens calumniæ illi, à D. Auguſtino indicatę, ad ipſum epiſtolam exarauit, quæ eſt 11. inter Auguſtini epiſtolas to. 2. ſuorum operum; in qua inter alia multa lectu digniſsima, ita reſpōdet Hieronymus: Dicis me in Iona Propheta male quid interpretatū, & ſeditione populi cōclamante, propter vnius verbi diſſonantiam, Epiſcopum pæne ſacerdotium perdidiſſe: & quid ſit illud quod male interpretatus ſum, ſubtrahis, auferens mihi occaſionē defenſionis meæ, ne quidquid dixeris, me reſpondente, ſoluatur: niſi fortę, vt ante annos plurimos cucurbita venit in medium aſſerente illius temporis Cornelio, & Aſsinio Pollione me hederam pro cucurbita transtuliſſe; ſuper qua re in cōmentarijs Ionæ Prophetæ plenius reſpōdimus: Hoc,

tantū nunc dixisse contenti, quod in eo loco vbi LXX. interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis hederā transtulerunt, idest KISSON, in Hebræo volumine Ciceion scriptum habetur, quam vulgo Syri Ciceiam vocant. Est autem genus virgulti, lata habens folia in modum pampini, cumq; plantatum fuerit, cito cōsurgit in arbusculum, absque vllis calamorū, & hastilium adminiculis (quibus & cucurbitæ, & hederæ indigent) suo trunco se sustinens. Hoc ergo verbum de verbo edisserens, si Ciceion, transferre voluissem, nullus intelligeret, si cucurbitam, id dicerem, quod in Hebraico non habetur, hederam posui, vt cæteris interpretibus consentirem. ¶ Hæc Hieronymus. Quibus similia scribit in Cōment. super Ionam. Ex quibus omnibus liquet, quā perperam se torqueant recentiores interpretes in voce KIKAION, explicanda, cum & Rabbini Hebraicæ linguæ peritissimi inter se non consentiant, & D. Hieronymus sacrarum litterarum interpres præclarissimus, affirmet in Latina lingua nullam esse vocem, quæ Hebraicam, KIKAION, valeat exprimere; se vero hederam, & nō cucurbitam transtulisse, quia communior erat apud veteres interpretatio: Addo ego, quia maiorem habet viriditatem hedera, ac densiora folia, quam cucurbita, & consequenter gratiorem vmbram, atque suauiorem auram efficit; Quare cum sit etiam viuacior, maius in subita eius arefactione apparet miraculū; quo monendus erat Ionas, de iusta Dei erga Niniuitas venia. De Ricino, quod maximopere cōtendunt alij esse idem quod KIKAION, non improbo; sed cum ducantur coniecturis, assentior potius Vulgatæ Editioni. Quod si KIKAION, nomē est commune ad significādum omne genus virgulti, quod cito crescit, & adolescit, lata habens, & virentia folia, ad opacandum solū seruiens

ſeruiens, dicemus, optimè potuiſſe intelligi per huiuſmodi nomen,& hederam,& cucurbitam,& Ricinũ,quę ſunt arbuſculæ,virorem,& opacitatem gratiſsimam exhibentes.

¶ ET lætatus eſt Ionas ſuper hedera lætitia magna.)

MVLTAE Ionæ occurrerunt cauſę gaudendi,propter hederæ acceptum beneficiũ: Prima fuit, corporis ſanitas, & animi leuamen, quod ex hederæ virore, & obũbratione accepit;Quid enim homini languenti,& æſtuanti,gratius poteſt accidere,quam ſub virentis arboris vmbra,conquieſcere? Secunda; quia videbat fruticem ſibi notiſſimum, & familiarem, qualem ſolebat ferre patria ſua; Nam vt D. ait Hieronymus, plãta erat in Palęſtina frequenter naſcẽs,& maxime in arenoſis locis: Quare iure lætatur Ionas,eius aſpectu. Solent enim,qui à patria,in longè diſsitas regiones,ſunt relegati, ob idq; vehementer lãgueſcunt,ſi fortè quidpiam è patria aduectũ,conſpiciant, mirum in modum oblectari. Tertio exultat videns, Deum;langoris,& ęgritudinis ſuæ curã habuiſſe, quandoquidem ipſi opem tulit, manifeſto hederæ miraculo: Nulla namque maior eſſe poteſt peccatori lætitia, quàm acceptis à Domino apertiſsimis ſuæ beneuolentiæ ſignis, ipſum habere propitiũ. Ita Dauid Pſal. 50. 10. *Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam,& exultabunt oſſa humiliata.* Deniq; lætatur Ionas, quia hoc pacto,aliquatenus honori ſuo conſulturn arbitratur; cum Niniuitæ ad eũ confluentes, tanto prodigio conſpecto intelligerent,quam eſſet ille Deo charus,quamq; veridicus Vates,& nõ mẽdax aliquis præſtigiator exiſtimãdus: Quinoe cui° auctoritatẽ,De° miraculis teſtaretur. *Pſal.* 50. 10.

Theophylactus Ionam puerili ingenio, & simplicitate præditum contemplatus, ita inquit: Atqui turbari propheram ob salùtem Niniuitarum: gaudere vero super oleris germinatione, simplicis hominis mores demonstrat, ingeniumque puerorum, adeòque infantium. AKAKIAE, hoc est, vitiorum ignorantiæ, quæ in pueris dum est proximũ. Pueri enim facilè qualicumq; etiam occasione adueniente, ad gaudium, & dolorem transmutantur. ¶

¶ ET parauit Deus vermem in ascensu diluculi incrastinum, & percussit hederam, & exaruit.)

EST etiam hoc loco, verbũ Hebræum MANNAH, quod significat, vt alibi diximus, præparare, ordinare, disponere, &c. Vt intelligamus omnia hæc peculiari Dei consilio, atque prouidentia geri, vt his signis, & portentis, & animum Ionæ deliniret, ac ad meliorem mentem traduceret, & mysteria multa adumbraret, quæ ad Gentium vocationem, & Israëlitici populi ruinam pertinebant. Idcirco præparauit Dominus vermem, qui radicem hederæ rodens, ipsam subito arefecit. Hoc autem dixit textus, factum esse, illucescẽte die. Quemadmodum enim hederæ germinatio, fuit, & Ionæ accidit inopinanti; sed summo mane cùm è somno euigilãs oculos aperuisset, statim conspexit virentem hederam, & super tugurium suum expansam: Ita etiam contigit eius interitus, Deo enim disponente, vermiculus radici adhærens, ipsam interemit. Et hoc sequẽti diluculo ab eius ortu aurora iam appetẽte, cum Ionas esset è somno excitatus. Vox Hebr. THOLAGHATH, innuit vermem illũ parvulum

vulum admodū fuiſſe, & ex eo genere vermium, quod cum molle ad tactum ſit, dētibus tamen, pro ſua natura, duriſsimis, & acutiſsimis, ita validum, vt arborum etiā truncos perforare poſsit. Sed cum nullum ſimile agens in inſtanti operetur, quamquam ſæpiſsimè accidit, vt areſcant intereantque plantæ, Bruchorum, Erucarum, aliorumque id genus vermium, corroſione; hic hederæ interitus, cum momentaneus fuerit, abſque dubio extitit miraculoſus. Quod quidem videtur in Hebræo indicari, NACAH, enim ſignificat tangere, percutere, flagellare, quaſi vel ſolo cōtactu vermiculi, hedera fuerit arefacta. Vnde præter allegoriam deinceps explicādam poterit lector petere egregiam tropologiam, ad mundanæ fœlicitatis breuitatem contemplandam. Nō vltra diem potitus eſt Ionas tanta alacritate, quę ſibi ex hederæ germinatione per opportunè cōtingerat: Mundana certè gloria, & fœlicitas tamquam flos egreditur, & conteritur, ac fugit velut vmbra.

¶ ET cum ortus fuiſſet ſol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti, & percuſsit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat.)

QVONIAM blanditijs, ac fauoribus diuinis, duriſsimū Ionæ cor molliri non valebat, ſeu potius non volebat; vult illum Dominus iterum affligere, vt vel ſic flagellis commotus reſipiſcat: idcirco illi abſtulit hederam, quæ ipſum tantopere recreabat, & oblectabat: nec hoc contentus fuit, verum ex orientis ſolis, & vrentis venti viribus, quaſi armis ad Ionam expugnandū vti decreuit: ideò & ſolem iuſsit acrioribus eum radijs defatigari, &

Australem ventum, ardoribus maximis inuehi: Quemadmodum enim in mari, cum fugeret Ionas, maris ac fluctuum, & omnium vētorum vim Deus, in ipsum contorsit, in æquor demergi fecit, à bellua marina deuorari, & tādem vivum euomi; Ita modo cum semper in sua proteruia persistat, cœlum, & terram, in ipsum armat, vt vel sic à sua sententia discat imitari. Ionas ergo viridātis hederæ destitutus vmbraculo, solis, & venti ignibus vehemēter impetitus, in magnam redactus fuit oppressionem, ita vt æstuaret. Hebraicè, VAITH GHALAPH, & exanimatus erat, seu animo deficiebat, iam iam animam agebat, quam hortabatur, vt corpus desereret, ipsam alloquens, more illorum, qui ob grauissimū miseriarum sensum, vitæ tædet quammaxime, & secum dolentes queruntur, quod tamdiu viuant, miserijs, ac calamitatibus finem, præmatura morte, imponere cupientes. Sic de Elia Propheta legimus 3. Reg. 19. 4. *Cumq; veniſſet, & ſederet ſubter vnam Iuniperum petiuit animæ ſuæ vt moreretur.* Ideſt, mortem sibi præcabatur. *Animæ ſuæ*, pro sibi. Respiciens autem Dñs Ionam tam afflictum, iratum, animoque deficientem, & iam animam exhalantem, iterū obiurgat, ijsdem verbis, quibus supra: *Putasne bene iraſceris tu ſuper hederam?* Quæ verba iam ibi exposuimus; modo tamē, quia Ionæ afflictio & iracundia ex defectu hederæ ortum habuit, addidit Dñs; *Super hederam.* Quasi dicat, vt postea magis explicat: Insanus certè homo es, & à mente valde alienus, qui hederam, quæ tibi nullo pretio, nulloque labore stetit, sed casu obtigit, ita deperis, vt mortem tibi ipsi compreceris: Annē si mihi obtemperaueris, dictoque audiens fueris, quidquam decesse poterit, quod salutem tuam, & solatium deceat? Numquid ego, qui te vivum, & illæsum triduo in ventre Ceti conseruaui, & absque

3. *Regum* 19. 4.

nocu-

nocumento vllo in littus proijci feci, non potero, vel alterius plantæ productione, vel quouis alio modo, cũ omnia mihi sint possibilia, depulso æstu, & ardore, quo laboras, tibi refrigerũ, & oblectationem maximã, conferre? Sed audiamus Ionę pertinaciam, cum tam singulari Dei bonitate, & mansuetudine decertantem.

¶ ET dixit: bene irascor ego vsq; ad mortẽ.)

MIRA profecto audacia, atque temeritas, velle se iustificare apud Deum, eiusque reprehensionem audere in ipsum quasi retorquere. Existimauit siquidẽ nulla culpa sua, deletam fuisse hederam, quæ sibi tanto commodo, atque vsui erat. Si LXX. & Chald. sequamur interpretationem, qui ita verterunt: *Si vehementer irascéris tu? Aut vehementer ne irascéris tu?* Non fuisset inepta, & temeraria responsio: Vehementer irascor ego vsque ad mortem: sed cũ nullius, aut perexigui res esset momenti, quod Ionas sui doloris, aut iræ vehemẽtiam, cognosceret, & fateretur (alias enim maiores res Deus agebat) ideo iuxta nostram Vulgatam, quæ habet: *Putasnè benè irascéris tu.* Non (*vehementer irascéris tu*) intelligimus Deum, Ionam, ob nimiam iracundiam, & à rationis tramite longe deuiãtem, voluisse reprehendere; ostendereq; ipsum, obiurgatione fuisse dignissimũ; nolle enim Deo acquiescere, neq; humiliari sub potẽti manu eius, quis nõ videt quam sit reprehendendũ? Iustificationẽ suam Ionas in eo (vt mihi videtur) collocabat, quod cũ Deus, ipsi in præmiũ sui laboris, in remediũ sui honoris, in medicamen suę ægritudinis, in refrigerium sui æstus, hederã opportunè admodũ, & mirabiliter cõtulerat; eam tamen cũ sine vlla causa, aut culpa sua, tã breui tẽpore abstulerit, iustè irascẽdi, ac de Deo con-

conquerendi ocasionem habere. Ionas sibi videbatur. Sed quis, ò bone Vates, obsecro cognouit sensum Domini? aut quis cõsiliarius eius fuit? Nescis Dominum nemini esse debitorem? Sed omnia disponere secundũ beneplacitum voluntatis suæ? Quare non est, quod respondeas te iustè irasci, sed potius te subde diuinæ voluntati, & cognosce incomprehẽsibiles esse diuitias sapientiæ, & scientiæ suę, & inuestigabiles cõsilij sui vias.

Vsque ad mortem, quid signi ficet.

Vsque ad mortem. Hebraismus est. Quasi dicat, vt mihi præ tristitia sit moriendũ. Vt Isai. 38. 1. *Aegrotauit Ezechias vsque ad mortem.* Idest, lethali morbo, ex quo erat mortem obiturus, nisi Deus commutata sententia longiorem vitam illi concessisset. Matth. 26. 38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Idest, mortifera tristitia afficior. Ita hic, vsque ad mortem, hoc est, tam vehementi ira, vt præ ipsa animam agere cogar.

Isai. 38. 1.

Matt. 26 38.

¶ ET dixit Dominus: tu doles super hederam, in qua non laborasti,) &c. vsque ad finem capitis.

HIS Domini verbis, finitur, & clauditur totius huius historiæ periodus; quibus, & inæstimabilis clementiæ suæ diuitias ostendit, & gloriosum de Ionæ pertinacia triumphum reportat, in hunc modum asserens: Vide Iona, quantum sit discrimen inter te, & me, inter hederam, & Niniuen ciuitatem; & hinc apertissime intelliges, quã iniuste iracaris propter hederæ interitum. Inter me, & te infinitum est interuallum; tu enim homo es mortalis, miser, inops, imperfectus, peccatis, & calamitatibus plurimis obnoxius: Ego vero Deus sum immortalis, omnipotens,

tens, perfectissimè beatus, infinite diues, bonus, sapiēs, misericors, liberalis, & omnium bonorum fons, & origo. Inter hederam, & Niniuen incōparabilis est differentia; hædera si quidem est arbuscula vilissima, exigui momenti: in ciuitate autē Niniue innumera infantium, & puerorum millia, quibus nulla adhuc est ad dolum aptitudo. Sunt etiam infiniti homines adulti, & iumenta, quæ ad illorum vsum, & obsequium feci. Præterea tibi in hederam nullum est ius, nullum dominiū, cum eam nec tu seueris, nec germinare, aut crescere feceris: Ego vero in Niniuitas omnimodam habeo potestatem, cum ipsos creauerim, aluerim, conseruauerim, & bonis, quibus fruuntur cumulauerim. Ergo si tu cum sis homuncio, miserijs plenus, tantopere doles interitum plantulæ à te nec satæ, nec productæ, nec irrigatę: Ego, qui Deus sum rerum omnium auctor, & molitor clementissimus, & hominum (quos ad meam imaginē, & gloriæ consortium creaui) amantissimus, nonne debui liberalius ignoscere ciuitati Niniues, ab eaque tantam cladem auertere, in qua tot millia hominum, millia tàm nocentium, quàm insontium, ac præterea iumenta innumerabilia erant absumenda? Hæc summa est diuinæ argumentationis. Nunc verba singula expendamus. *Tu doles super hederam*, &c. *Et ego non parcam Niniue ciuitati*, &c. Notanda valdè sunt duo illa pronomina, *Tu*, & *Ego*. Habent namque ineffabilem emphasim, quemadmodum illa Petri, Ioan. 13. 6. *Domine, tu mihi lauas pedes?* Et illa etiam Præcursoris Baptistæ Matth. 3. 14. *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?* *Ioan.* 13. 6. *Matth.* 3. 14.

¶ Nullis sanè verbis, immò neque cogitatione cōplecti poterit quisquam, quanta in huiusmodi verbis pietas, humilitas, Maiestatisque diuinæ cognitio, & veneratio contineatur. Pari modo Deus vult his terminis vti,

vti, cum Iona diſputans: Tu miſerimus ſcilicet, homo, amas tantopere vnicam hederam à te, nec creatam, nec diu poſſeſſam; ego Deus incomprehenſibilis, non diligam infinitos Niniuitas à me conditos, diutiſsimè conſeruatos? Quiuis enim artifex ſolet opera ſua amore proſequi; cur igitur non valde amem cuncta quæ feci, ac potiſsimum homines, quos cæterarum rerum principes; & dominos eſſe volui? Tu doles ſuper hederam. Hebr. *Tu peperciſti, aut miſertus fuiſti hederæ.* Vt reſpondeat antitheſi. *Et ego nõ parcam.* Vbi eſt idem verbum. *Quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit.* Hebr. *Quod ſcilicet*, KIKAION, *filius noctis fuit, & filius noctis perijt.* Hebraiſmus ſignificans plantam de nocte erupiſſe, quaſi ſi fuiſſet noctis filia, vt Iſai. 21. 10. frumentum, dicitur filius areæ, propterea quod in ipſa triturатur, & veluti ex ea oriri videtur. *In qua ſunt pluſquã centum viginti millia hominum.* Hebr. *Qua eſt in ea multum præ decem myriadibus hominis.* Singulari pro plurali. LXX. *In qua ſunt plures, quam duodecim decem millia virorum.* Pagninus. *Pluſquam duodecies decem millia hominum.* Omnes eũdem ſenſum reddunt. Nam duodecies decem millia, conficiunt ſummam, centum viginti millium; Pari modo idem numerus reſultat ex duodecim myriadibus; cum vna quæque myrias valeat decẽ millia. Sed dubium eſt, an hæc ſumma centum viginti millium hominum, intelligenda ſit, de omnibus Niniuitis, tàm adultis, quàm parvulis, tàm viris, quàm fœminis? Duplex eſt ſententia, ſeu interpretatio; Altera, quæ affirmat ſolum ſpectare ad pueros, qui nondum ratione vtebantur, nec erant ad bonum, vel ad malum perpetrandum idonei. Et hæc interpretatio eſt Theodoreti, Theophylacti, Montani, & aliorum, quam probant ex verbis, quæ ſtatim ſequuntur. *Qui neſciunt quid ſit inter dexte-*

Iſai. 21. 10.

dexteram, & ſiniſtram ſuam. Quæ non videntur niſi infantibus, & adhuc rationis vſu carẽtibus, poſſe accommodari. Siue ita explicemus: Quod neſciunt diſcernere quænam ſit manus dextera, & quæ ſiniſtra; Vel quid bonum ſit, quod per dexteram denotatur; quidue malum, quod intelligitur per ſiniſtram. Hinc vt notant Theodoret. & Theophy. colligitur aperte quam magna eſſet Niniuitarum multitudo. Si enim infantes, & pueri excedunt ſummam centũ & viginti millium, quãtus erit numerus adultorum, tàm virorum, quam mulierum. Senſus ergo erit. Tametſi Niniuitis, ob Idololatriæ, aliorumque ſcelerum magnitudinem, parcendum non eſſet; ſupererat tamen ingens quædam infantium, & puerorum multitudo, qui propter ætatis innocentiam, & imbecillitatem, nullius criminis ſibi conſcij eſſe poterant, digni propterea venia, & miſeratione; cum non ſit æquum, tot inſontes, & innocuos, malorũ ſupplicijs inuolui, atque deleri.

¶ Alia interpretatio eſt, vt intelligatur, magnus hic numerus de viris adultis, ſolũmodo. Mos enim eſt Sacræ Scripturæ, cum maximam aliquam hominum multitudinem vult recenſere, tantummodo de viris mentionem facere. Vt Numer. 1. Quando iuſſu Domini Moyſes, & Aaron recenſuerunt populum Iſraeliticum, non fuerunt deſcripti, niſi viri à viceſsimo anno, & ſupra, qui apti erant ad bellum. Et 2. Reg. 24. Cum præcepiſſet Dauid Ioabo principi militiæ, vt totum populum numeraret, ſolum redacti ſunt in numerum viri ad ſumenda arma idonei, & Matth. 14. poſtquam miraculoſe pauit Chriſtus ingentem hominum multitudinem, ſummam aſsignat Euangeliſta, virorum tantummodo; *Manducantium autem fuit multitudo quinque millia virorum,* *Nume. 1.* *2. Regum 24.* *Matt. 14.*

rum, exceptis mulieribus, & paruulis. Ita hoc loco cum refertur maxima hæc Niniuiticæ gentis multitudo, interpretandam esse aiunt, de solis viris adultis, absque parvulis, & mulieribus. Horum namque numerum, duplo, vel amplius, maiorem fuisse, debemus existimare. Viri autem adulti, dicuntur nescire quid sit inter dexteram, & inter siniſtram suam; hoc est, quid sit sequendū, quid fugiendum, propterea quod in ipsis tanta erat rerum diuinarum ignoratio; tam obscuratum rationis lumen, vt viuerent tamquam equus, & mulus, quibus nō est intellectus; præsertim homines plebeij, & mechanicis artibus dediti, quorum maior solet esse ignorantia, & ruditas; antiquum sane adagium ad significandā hominis alicuius insciti am, dicere; nescire illum dexterā suam, vel siniſtram. *No sabe su mano derecha.* Vtramque expositionem adducit D. Hieronym. hoc loco dicens: Ignorant autem quid sit inter dexterā, & siniſtram, vel propter innocentiam, & simplicitatem, vt lactentem monstret ætatem, & relinquat intellectui, quantus sit numerus ætatis alterius, cum tantus sit parvulorum; vel certe, quia magna erat vrbs, & in domo magna non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia) erat in ea plurima multitudo, quæ ignorabat anteactam pœnitentiam, quid esset inter bonum, & malum, inter dexteram, & siniſtram. ¶ Paulus de Palacios posteriorem expositionem amplectitur. Sed prior cōmunior est. *Et iumenta multa.*) Ostendit Dominus, quam magnam habeat rerum omnium prouidentiam; quandoquidem etiam iumentorum, & animalium irrationabilium curam gerit, ipsorum saluti, & incolumitati cōsulens. Nam inquit Regius Vates: *Homines, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiā tuā Deus.* Quasi dicat: Tanta est tua erga homines clementia

mentia, & prouidentia, vt non solum eos habeas præoculis, quorum salutem maximopere quæris, & foues; sed etiam iumenta, & pecudes, quæ in hominum vsum, & obsequium creasti, integra, & salua esse velis. Significat igitur Dominus, quod quamquam in Niniue, non degerent pueri, nec adulti homines, quibus, vel propter ætatis innocentiam, vel propter scelerum pœnitudinem, esset ignoscendum: saltem erant iumenta innumera, quorũ vel vnius vita, præstabat vitæ hederæ, quæ anima vegetante solum pollebat, ac citissime orta fuit, momentoque temporis interijt. D. Hieronym. per iumenta interpretatur ipsos homines, brutorum more viuentes, qui cum similes se faciant iumentis insipientibus, iure optimo illis comparantur. Et hic finem facit Ionæ prophetia, nec vlterius scribitur, quid ipse responderit ad hæc Domini verba. Cæterum ego pie crediderim his rationibus, ita fuisse deuictum, vt proteruiam suam agnoscens, multis lachrymis, veniam postularit; maculamque omnem ex animo eluerit. Quare deinceps ineffabilia Dei iudicia pertimescens, eius infinitam bonitatem, clementiam, mansuetudinem, perpetuis laudibus commendauit; ac tandem plenus dierum, & meritorum in pace quieuit. Deo Optimo Maximo sit sempiterna gloria. *AMEN.*

IN EAMDEM IONÆ PROPHETIAM ALLEGORICA EXPOSITIO.

VM multi Sancti Patres, & Prophetæ veteris Testamenti, suis gestis, imaginem Iesu Christi Domini nostri, eiusq; mysteriorum, præse tulerint: Præcipuum, inter ipsos, locũ sibi vendicat Ionas Propheta, qui eiusdem Christi typus fuit luculẽtissimus. Quamobrem; postquam hactenus, de eius prophetiæ sensu historico, satis egimus; reliquum est, vt de allegorico differamus. Hoc tamen prius animaduertẽdum est: Quod quemadmodum parabolæ, seu similitudines, quæ in sacris litteris referuntur, desumptæ ex rebus corporeis, & sensibilibus, ad supernaturalia arcana patefacienda, nõ omnimodè, & adæquatè rebus, per ipsas significatis conueniunt, vt sæpe docent interpretes: Ita etiam sancti Patriarchæ, & Prophetæ, haud in omnibus suis operibus, & actionibus, Christum præfigurarunt, sed in non-

nullis. Non enim(vt vtamur exẽplis) Dauid fuit Chriſti ſimilitudo,in adulterio,aut homicidio,aut alio quouis crimine; ſed in fœliciſsimo certamine, quod cum gigante Goliath iniuit, & victoria,quã de ipſo glorioſiſsimè reportauit: in egregia ad regnum euectione,diuinitus effecta: in regni perpetua ſtabilitate: in eximia erga omnes,etiam inimicos, charitate,& mãſuetudine: in admirabili, ad perferendas iniurias, & perſequutiones patientia,atq; longanimitate,&c. Salomon etiã nõ fuit typus Chriſti,in morum corruptione,qua cõtra Dei præceptum, mulieres Moabitidas, & Amonitidas adamauit: in ipſarumq; gratiam,Idolis Templa cõſtruxit, ſacrificia obtulit, &c. Verumtamen Chriſtum excellentiſsimè adumbrauit; tum propter ſingularem ſapientiam, diuinitus acceptam; tum propter pacem, & tranquillitatem,qua in ſuo regno potitus fuit:nullis,armorum, aut bellorum ſtrepitibus, obnoxius: ſed tantam pacem, etiam nomine ſuo, præ ſe ferens, vt nullus fuerit Regum cum ipſo conferendus,&c. Pari quoque modo, loqui poſſumus de Propheta noſtro Iona; is enim nõ adumbrauit Chriſtum, in crimine inobedientiæ, contra Dei præceptum mittentis ipſum, ad prædicandum Niniuitis: Neque in fuga, quam arripuit, ne diuinis mandatis obtemperaret: Neque in proteruia,& duritate cordis, quam erga Deum habuit: ſed alijs in rebus,& actibus ſuis rectè geſtis.

De quibus ſuo ordine, agendum erit.

¶ CAPVT

CAPVT PRIMVM.

¶ *ET factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens.)*

ET vt à nomine exordiamur IONAH, Hebraicè idē est, quod colūba. Quæ appellatio, verisimè, & aptisimè cōuenit Christo. Columbæ, vt rerum naturalium scriptores affirmant, duæ sunt potisimæ proprietates, quæ, singularē, ipsam inter omnes volucres efficiunt. Prior proprietas est, quod felle caret. Vnde, maxima ipsi est innata simplicitas, atq; mansuetudo; cuius vult Christus, nos esse imitatores, cum ait: *Estote prudētes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Quibus verbis docet nos debere esse innocuos, erga proximum; & patientes, si aliquid nobis damni inferatur; Quemadmodū, columbæ, nulla sunt arma, neq; vires ad nocendū, neq; ad se ipsam defendendum. Solummodo vtitur alarum beneficio, quibus aufugere, & in locum tutum se recipere valeat: vt discamus, tamquam columbinis moribus instituti, neminem lædere, neq; vi illata, nos tueri; sed alis duabus charitatis, videlicet, erga Deum, & proximum, iræ locū dare; & in tutisimū orationis refugium, auolare. Talis certè simplicitas columbina, atq; mansuetudo, summopere enituit in Rege, & Propheta Dauide, qua fretus audebat certisima spe diuinæ implorandæ clementiæ dicere: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Tam perfecta enim, & omnibus suis numeris absoluta, præditus fuit mansuetudine, vt ipsam, merito omnem, siue omnimodam, potuerit appellare. Quod, liquet apertisimè, eius gesta in libris Regum

Matt. 10. 15.

Psal. 131. 1.

perſpicienti. Vnde cũ nec hoſtibus nocere vellet, tametſi poſſet, nec per vim ſe in tot perſequutionibus, opprobrijs, & nocumentis defendere, ſed patientiſsime, ac mitiſsime omnia tollerare, ſolo pennarum remedio, ſibi conſulendum eſſe, exiſtimauit, dicens: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Hæc profecto manſuetudo, in Chriſto fuit multo excellentior; ad cuius nos imitationem hortatur: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Quã fuerit mitis, & humilis corde Chriſtus Dominus, quotuſquiſque eſt, qui nedũ lingua, ſed neque cogitatione, ſe conſequi poſſe audeat affirmare? Quare merito D. Petrus, adhortatur nos ad tantã manſuetudinem ſectandam, dum ait: *Chriſtus, paſſus eſt, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum paterẽtur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniustè, &c.* Quanta etiam flagrabat charitate, erga omnes; & præſertim inimicos; ſatis perſpectum eſt, in feruentiſsima illa ad Patrẽ oratione: *Pater dimitte illis, &c.*

Pſal. 54. 7.

Matt. 11 29.

1. Pet. 2. 21.

Luc. 23. 34.

¶ Altera columbæ proprietas eſt: Quod tanta pollet fœcunditate, vt cum aues reliquæ, ſemel in anno, ouis incubent, pulloſque excludant, & alant: columba, cunctis ferè anni menſibus, oua parturiens, ac ſuo calore viuificans, pullos procreat, nutritque. Conuenit hoc Chriſto proprijſsime, cuius in procreandis ſpiritualiter filijs adoptionis, tanta eſt fœcunditas, vt dixerit optimè Iſaias: *Generationem eius, quis enarrabit?* Quæ verba, quãquam à multis ſacris interpretibus, intelligantur de generatione æterna, qua Dei filius à Patre, per actum intellectus procedit: nihilominus intelligi poſſunt de hac ſpirituali generatione, ſeu potius rege-

Iſai. 53. 8

regeneratione; qua per baptiſmum renaſcuntur homines, ex aqua & Spiritu Sãcto. Et, vt inquit Paulus. *Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Hæc indicibilis Chriſti fœcunditas, indicata fuit Ioanni Baptiſtæ, cum ab eo Spiritus Sanctus, viſus fuit ſuper Chriſti caput in ſpecie columbæ deſcẽdens. Iuxta æterni Patris promiſsionem dicentis: *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manẽtem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.* Quo ſymbolo ſignificabatur, nõ ſolum præſtantiſsima Chriſti manſuetudo, ſed ineffabilis, in progignẽdis filijs Dei adoptiuis, virtus, atq; facultas. Quam tàm propriam voluit eſſe Sacramento Baptiſmi, vt nullatenus à miniſtrorũ ſanctitate dependeat. *Tit.* 3. 5. *Ioan.* 1. 33.

¶ Et cum inter virũ & vxorem maxima eſſe debeat morum animorumq; ſimilitudo, atque coniunctio; merito diuinus ſponſus Chriſtus, dilectiſsimã ſponſam ſuã Eccleſiam ſæpè hac eadẽ columbę appellatione, & præclaro encomio decorauit. Vt Canti. *Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Et ibidem nu. 14. *Surge.* &c. *Colũba mea in foraminibus petræ, &c.* Columba namque non ſolum ſimplicitatis, & manſuetudinis (vt diximus) ſed etiam eximiæ pudicitiæ, cõiugalis fidei, mutuæ charitatis, ac denique mundiciei ſymbolũ ſemper fuit; dum nulli alteri, quam ſuo marito, cõſtanti fide adhæret; filios mirũ in modũ fouet, educat, nutrit, ſocias, per crebra, ac mutua oſcula, ſũmo amore proſequitur; puritati, ſeu nitori, tam ſedulo ſtudet, vt quæcumq; inquinamenta deuitet. Vnde cecinit Poëta ille Ethnicus. *Cantic.* 2 10.

Aſpicis vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aues.

¶ Et Columella de re ruſtica lib. 8. cap. 8. affirmat hoc auium genus, albo colore maximè delectari, propter nitorem, & munditiem, quam præ ſe fert: locumque vbi columbæ habitant, ſæpè euerri, & mundari oportere; nam quanto eſt cultior, tanto auis lætior conſpicitur. Conueniunt hæc omnia, Eccleſiæ, præſtãtiſsima quadam ratione, quę tamquam caſtiſsima virgo, vni viro, Chriſto, tam inuiolabili perpetuoque coniugij fœdere, copulata eſt; vt nulli alteri valeat, neque velit nubere. Vt ipſamet teſtatur in Canti. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, &c.* Et, *Ego dilecto meo, & ad me cõuerſio eius.* Præterea filios ſuos, per Chriſtum genitos, diuinis myſterijs, Sacramentis, adhortationibus alit, promouet, conſeruat. In ea fideles, mirifico pacis, & charitatis vinculo, cum Deo: & mutuo inter ſe ſe connectuntur. Candor animi, atq; mundities, ita ipſi propria eſt, (vt Paulo teſte) ipſam, Chriſtus ſpõſus, diuino ſuo ſanguine emundauerit: *Chriſtus* (inquit) *dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habẽtem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* Ad hunc eumdem Eccleſiæ nitorem, & pulchritudinẽ, videtur alludere illud Pſal. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Quæ verba propter conciſam orationis ſeriem, & breuitatẽ, difficilia ſunt explicatu; variaſque admittunt expoſitiones; ſed maximè videtur germana Genebrardi interpretatio, quę etiam fuit Vatabli, & aliorum recentiorum interpretum. Nam hoc in loco

Cantic. 2 16. *& cap.* 7. 10.

Epheſ. 1. 27.

Pſal. 67. 15.

loco Spiritus sanctus agit de Ecclesiæ, seu Christi fidelium, in hoc sæculo degentium, periculis, persequutionibus, impugnationibus, illatis ab hostibus, tàm visibilibus, quàm invisibilibus. Ex quibus omnibus tantum abest, vt Ecclesia, macula, aut fœditate vlla, affecta euadat, vt potius inde, maiorem acquirat nitorem, atq; splendorem; instar columbæ nitidissimæ, argenteum candorem præ se ferentis; cuius posteriores plumæ, solis radijs illustratæ, auri fulgorem repræsentant. Candor enim fidei, quæ per argentum significatur, nullam erroris maculam, aut nævum, admittit. Quod autē fidei mysteria, argento purissimo, & expurgatissimo comparentur, testis est ipse Dauid. *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum.* Per auri pallorem, denotatur gratiæ, & charitatis perfectio; (vt inquit August. super hunc locum) in qua consistit potissima Ecclesiæ pulchritudo: Quod quidem sub alia metaphora significatum fuit, cum dicit sponsus ad spōsam: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quæ verba explicans D. Greg. Papa, per argentum significari, ait, prædicationem Euangelij, per aurum vero, diuinam sapientiam, & charitatis, aliorumq; cœlestium donorum, plenitudinem. Et bene quidem argentum, fidei comparatur; Nam fides ex auditu, vt inquit Paulus, & argentum suapte natura, sonorum est; Quo innuitur Apostolorum prædicatio; Nam in omnem terram exiuit sonus eorum. Per monile Ecclesiæ, aureum, innuitur iustificatio; quæ ortum habet à fide, tamquam à radice, & fundamento; Et idcirco dicitur hoc monile, argēto vermiculatū, quia iustus ex fide, charitate informata, viuit. Et vt ad Dauidis auctoritatem reuertamur, siue legamus, *Inter medias sortes, vel cleros*, vt legunt LXX. siue, *Inter medias lebetes*, aut

Psal. 11. 7.

Can. 1. 11

Rom. 10. 17.

Psal. 18. 5.

aut ollas, Vt habent Hebræi, idem eſt ſenſus: Per ſortes enim, iuxta antiquorum doctrinam, pericula communiter intelliguntur, quibus ſubſunt in hac vita mortales. Vt etiam per ollas, ſeu chitropodes fuliginoſas, idē ſignificatur. Eſt ergo planus horum verborum Dauidis ſenſus; Si verſemini in præſentiſſimis, & certiſſimis periculis, in ipſa maxima rerum omnium deſperatione, eritis tutiſſimi, ſereniſſimi, lætiſſimi, vultu, & colore tàm pulchro, ſereno ac vegeto, quàm columba, cuius pennæ ſunt veluti deargētatæ, inſtar argenti pellucentis, & dorſum, vel cauda dorſi ſplendet, ac rutilat, inſtar fului, ſiue pallentis auri. Quod quidem Catholicæ conuenit Eccleſiæ, contra quam portæ inferi non prę-ualebunt.

¶ Id quoq; inter aues alias, columbæ peculiare eſt, quod gemitum habet pro cantu; vnde Ezechias Rex in maxima cordis compunctione, & afflictione poſitus, Deum feruenter orans, dixit: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.* Quæ verba ſic transfert Chaldæus. *Sicut hirundo, quæ comprehenſa eſt garrit, ſic garriebam, & rugiebam ſicut columba.* Eſt enim vox columbæ, veluti rugitus, aut gemitus quidā, quo aſsiduo vtitur. Competit valde Eccleſiæ militanti, quæ in perpetuo verſatur gemitu; tum ſponſi ſui paſsionem, ac mortē pijſsimo affectu deplorans; tum propter æternæ fœlicitatis deſiderium gemebundo ſuſpirans; tum denique propter filiorum ſpiritualem ſalutem, Deum flebilibus orationibus obſecrans. Quamobrem D. Paulus dixit: *Spiritum pro nobis poſtulare gemitibus inenarrabilibus.* Quia Spiritus ſanctus, qui ſemper in Eccleſia reſidet, reſidebitque poſtulare eam facit, quæ ad æternam ſalutē ſpectant, affectibus, ſuſpirijs, gemitibuſque indicibilibus. Quod etiam, ipſius Eccleſiæ nomine, Regius

Iſai. 38. 14.

Roma. 8. 26.


image
not
available

ad Babylonis fluminũ ripas delectabiles, considebant: memores tamen dulcissimę patriæ, in assiduo mœrore, luctuq; versabantur. Ita vt suspensis ad salices, musicis instrumentis, adduci non potuerunt à Babylonijs inuitantibus, & rogantibus, vt quidquam ex sacris, etiam Hymnis, & Psalmis, in Templo decantari solitis, personarent: *Super flumina* (inquiunt) *Babylonis illic sedimus, & fleuimus cũ recordaremur Syon; in salicib⁹ in medio eius suspendimus organa nostra: & illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantionum, &c.* Sic nos, in hoc exilio mortalis vitæ, tamquam captiui, & à cœlesti patria, exules; & iuxta fluenta mundanarum voluptatũ constituti, eniti debemus, ne ipsarũ rapidissimo cursu, absumamur: Quin potius, supernæ Syonis intimo desiderio flagrantes, ad ipsam anhelemus, & suspiremus; in salicibus organa suspendamus, ideſt, mundanas delitias, & oblectamenta, in veram cordis contritionem, & amaritudinem conuertamus: Iuxta dictum Ezechiæ Regis loco citato: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, &c.* Salices, arbores sunt, suapte natura gustatu amaræ, & insulsæ; humano tamẽ vsui vtilissimæ: sic actus pœnitentiæ, carni amari sunt prorsus, saluti vero animæ, valde proficui. Quidquod symbolum sunt castitatis, & pœnitentiæ, & idcirco in sacris litteris, valde celebrantur; Vt videre est apud Pierium Valerianum lib. 52. vbi agit de salice.

Psal. 136

Isaiæ. 38. 15.

¶ Deinde ferunt, ex colũbæ carnibus confecta edulia, plurimũ valere ad propulsandos morbos letiferos. Satis conuenit Ecclesiæ; Quid enim obsecro, sunt eius præcepta, decreta, sanctiones, cæremoniæ, ritus, obseruationes sacræ, nisi antidota quædam, cõtra antiqui serpẽtis venena, & aconita mortifera? Vide Pier. Valer. lib. 22.

lib. 22. de columba, verbo, ſalubritas, & animorum futura fœlicitas: Vbi de proprietatibus columbæ, ad noſtros mores, traducendis, egregiè philoſophatur. Tandem columbæ ab oculorũ pulchritudine, maximòpere commendantur; quos habent perſpicaces, claros, nitidos, ſurſum erectos. Sic Eccleſia, interna oculorũ acie, in Deum, cœleſtiaque bona, ſemper intenta, ita pollet, vt in rebus diuinis perſpiciendis, dijudicandis, decernendis, ſperandis, amãdis, nullatenus hallucinari, aut errorum tenebris, valeat offundi. Idcirco Chriſtus in Canticis, ſæpè ipſius oculos, columbinorum pulchritudini ſimiles eſſe, dixit. *Cantic.* 1 15. & 4. 1. & 5. 12

DICI etiam poteſt Chriſtus filius, Amathi, ſeu Amithai, ideſt, veritatis; filius enim naturalis, cũ ſit Dei Patris, qui eſſentialiter eſt veritas infinita, ipſe quoque filius, quia eſt Patri coæqualis, & conſubſtantialis, eſt eadem veritas, per eſſentiam. Vt de ſe affirmat: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* *Ioan.* 14. 6.

¶ Super ipſum factum eſt verbum Domini in incarnatione, cum diuinis omnibus donis, & chariſmatibus ſpiritualibus refertiſsimus fuit, vnctus oleo exultationis, præ participibus ſuis, *Plenus gratia, & veritatis*: De cuius plenitudine, omnes homines iuſtitiam, & ſanctitatem accipiunt. Quod quidem ipſe teſtatum eſſe voluit apud Iſai. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, &c.* Hoc autem teſtimoniũ, de Chriſto ad litteram intelligi debere, ipſemet apertiſsime aſſeruit apud Lucã. Vbi dicitur: Quod ingreſſus Synagogã Nazareth patriæ ſuæ, & iuxta conſuetudinem ſuam, die Sabbati prædicare volens, oblatus eſt ei liber Iſaiæ Prophetæ, quem reuoluens, inuenit locum ſupra citatũ. Quem clara voce *Ioan.* 1. 14. *Iſai.* 61. 1 *Lucæ.* 4. 20.

legens

legens, de se exposuit, dicens: *Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris, & omnes* (inquit Euangelista) *testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.*

¶ *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea, &c.*

ADMIRABILE decretũ diuinæ bonitatis innitur, in vocandis Gentilibus ad Ecclesiam Catholicam, & in cœlestium bonorum hæreditatem admittendis. De quo D. Paulus agens, inquit: *Mihi omnium sanctorũ minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innotescat principatibus, & potestatib⁹ in cœlestibus per Ecclesiã, multi formis sapientia Dei, secundum præfixionem sæculorum, quã fecit in Christo Iesu Dño nostro.* Sunt profecto hæc verba animaduersione dignissima; præsertim dũ appellat hoc mysterium vocationis Gentium, dispẽsationem gratiæ Dei. Nam cũ Christus non fuisset promissus nisi Abrahæ semini, iuxtà diuinas pollicitationes ipsi factas: Videbantur à participatione Euangelij, exclusi omnino Gentiles, & nationes cæteræ, quæ nõ erant ex Abrahæ semine secundum carnem: & idcirco ab Hebræis, erant maximè exosi, & contemptui habiti: præcipuè ex quo Deus, nullum cum Gentilibus cõmercium, neque consortium, iussit Hebræos ipsos, habere. Et idcirco merito vocat, Gentilium conuersionem, & vocationem, dispen-

Ad Ephe. 3. 8.

dispensationem gratiæ Dei. Quare mera fuit Dei misericordia Gentiles fieri cohæredes, concorporales, & comparticipes promissionis Dei, cuius doni executio, fuit per Christum Paulo promissa, & demãdata, vt multis in locis asserit idem Paulus, & in hoc præsertim, dicens: Mihi omnium Sanctorum minimo, &c. cum illis non deberentur diuitiæ Euangelij, vt Hebræis, quibus virtute promissionis Abrahæ factæ à Deo, & iuramento confirmatæ, ius in Christi Euangelium habebant. Deinde Paulus, vocat hoc mysterium vocationis Gentium, absconditum à sæculis in Deo, non eo quod nulla sint, in sacris litteris apertissima testimonia, cum passim in Prophetarum oraculis inueniantur, sed quia eius effectus, & executionis tempus, & modum, habuit Deus Opt. Max. in scrinio sui pectoris valde reconditum, & abstrusum, donec veniret plenitudo temporis, quo misit Deus filium suum in mundum, cui soli tanti mysterij executionem reseruauit, atq; indixit: vt patet multis in locis Sacrę Scripturæ, & signanter apud Isaiã, vbi alloquens Pater æternus filium suum, hominem factum, ait: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam Gentem, ad seruum dominorũ: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te, &c.* Præterea Beatus Simeon, qui Christũ infantulum, ac recẽs natum, in vlnas suas excipere meruit, in prophetico, & veluti Cygnæo suo cãtico, eiusdem Dei infantis magnalia celebrans, gratiasque Deo agens, dixit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem*

Isaiæ. 49. 6.

Lucæ. 2. 48.

tionem Gentium, & gloriã plebis tuæ Iſrael. Nõ eſt ſilentio prætereundũ, ſed attente perpendendum, quod ſanctus hic Propheta, prius proponit illuminationem Gẽtium, quam gloriam Iudæorum per Chriſtum conferendam; vt ſignificaret, Iudęis propter ſua flagitia, & cordis perfidiam, gloriam ſuam reſpuentibus, Gentiles hæreditatem, tãquam Iacob alterũ, fratri ſuo maiori Eſau prærripuiſſe: & Synagoga repudiata, tãquam altera Vaſthi, Gentilitatem, tamquam alteram Eſther, Chriſto per fidem, fuiſſe deſponſatam, & in locum Vaſthi ſuffectam. Videtur ſanctiſsimus ſenex in hac ſolẽni benedictione, imitatus venerabilem Patriarcham Iacob, qui cum eſſet benedicturus, duobus nepotibus ſuis, quorum maior ad dexteram, alter ad læuam erat conſtitutus, Iacob prophetico plenus ſpiritu, cancellatis manibus in modum crucis, dexteram ſuper caput minoris collocauit, & lęuam ſuper caput maioris. Quo voluit innuere, minorẽ populum, qui Gentilis erat, maiore ſcilicet, Iſraelitico, potiorẽ, & locupletiorem in diuinæ hæreditatis poſſeſſione, extiturum. Pari modo, beatum Simeonem exiſtimare poſſumus cãcellaſſe brachia, cũ Chriſtum in ipſa ſuſcepit: ad oſtendendũ Gẽtilis populi ſummam fœlicitatẽ, qua Hebræo longiſsimè antecellit, virtute crucis, & paſsionis Chriſti obtinendã. Simeoni conſonat Zacharias ſacerdos pater Ioãnis Baptiſtæ in cuius ortu, aliud ſolemne canticum de Chriſti aduentu concinuit, in quo ita ait: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto: Illuminare ijs, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Eadẽ ex cauſa, prius collocauit illuminationem Gẽtilium, qui in tenebris infidelitatis verſabantur, quam directionem Iſraelitarũ in Chriſtum, qui via eſt, & veritas, & vita, auctor, & effector pacis, tam inter Deum, & homines, quam inter vtrumque populum.

Geneſ. 48 14.

Luc. 1. 78.

¶ *ET surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Dñi.)* HOC Ionę facinus, vt paulò superius indicauim*, non potest plenè, ac propriè Christo conuenire. Lethale enim crimen cõmisit Ionas, dum præcipienti Deo, Niniuitarum prædicationem, obedire noluit: sed cõtinuo fugam arripiẽs, in longinquas regiones proficisci conatus est: Iudæamq; deseruit, ne iniunctã legationẽ obire cogeretur. Christus vero, in mũdũ venit, vt voluntatẽ Patris exequeretur: *Factus ei obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Nihilominus tamẽ possumus Christo prædicta verba adaptare. Nã secluso quouis delicto, visus est ad tẽpus, Gẽtilis populi vocationẽ distuliſſe, atque recusasse; vt patet ex eo quod, numquã quoad vixit in hoc ſeculo per se ipsum, aut per Apostolos suos, ad Gentiles, prædicãdi Euangelij causa se cõtulit: immo legans, ac mittens discipulos suos, ad disseminandũ Euangelium in omnẽ regionem, & locũ, quo erat ipse venturus; expresse vetuit, ne in viam Gentiũ abirẽt; neq; in ciuitates Samaritanorũ introirẽt. Ac de se ipso testatus est, non fuisse à Patre missũ, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Et Chananęæ mulieri Gẽtili, pro filia sua Christũ obsecranti: *Non est bonũ* (dixit) *sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quæ loca demõstrant, Christum primo, & pręcipuè, voluisse Iudæis, quibus ex promissione debitus erat, satisfacere. Ipsis vero Euangeliũ perfide repellẽtibus, & impugnãtibus, tandẽ ad Gẽtiles, transitũ esse faciendũ. Quod vt paulò ante diximus, Christus præstitit, discipulorum ministerio, post passionem, & resurrectionem, cum dixit eis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Et apud Marcum: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ratio igitur tantę sæueritatis, quam erga Gentiles tunc

*Philip. 2.

*Matt. 15. 27.

*Matt. 28. 18.

*Marc. 16.

tunc visus est Christus demonstrare, fuit ne Iudæi ansam arriperent, aut causam prætexerẽt, ad ipsum repudiandum, si viderent eum, relicto populo suo, ad Gentilitatem deflexisse.

¶ *ET descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius.)*

ADVMBRATVR ineffabile Incarnationis mysterium, quo Dei filius, in Patris sinu semper existens, descendit de cœlo, propter nos homines, & propter nostram salutem. In Ioppen, hoc est, in B. Virginis vterũ. Ioppe enim, pulchritudinem denotat. Virginis autem tanta est pulchritudo gratiæ, & supernaturalium donorum, vt pulchra sit vt Luna, electa vt Sol, eius pulchritudinem Sol, & Luna admirentur. Tanta si quidem gratiæ plenitudine floret, vt omnibus, non modo hominibus, sed Angelis, & cœlestibus spiritibus, longissime antecellat: ita vt B. Virgo sola, gratiam omnium, tàm hominum, quàm Angelorum, coniunctim acceptorum, longo interuallo dicatur superare. In hoc ergo portu, vtero, scilicet, B. Virginis, diuinum Verbum, nauem ingressus est: Ideſt, humanitatem nostram assumpsit; qua posset, mari se mortalitatis nostræ committere. Naulum persoluit pretiosissimum, hoc est, vnionem hypostaticam, per quam, humanitatem assumptam, ad suam personalitatem euexit. Qua quidem vnione, nihil pretiosius, nihil maius, neq; sublimius, esse, aut excogitari potest. Ex hoc ergo portu soluens, ideſt, per natiuitatem temporalem nascens,

cens, cæpit ſtatim maris procellas experiri: non modo frigus hyemis, tugurij incommoda, præſepis duritiem, pannorum pauperiem, &c. ſuſtinendo: ſed etiam Herodianam perſecutionẽ, qua coactus fuit, Deo diſponente, Iudæam relinquere, & in Aegyptum aufugere: vbi tãquam extorris, exul, ignotus, quis ambigit, quin plurimos labores pertulerit?

¶ Sæuiſsima vero tempeſtas fuit contra ipſum concitata, quando iam grandis, triginta annos habens, Euangelicam prædicationẽ auſpicatus eſt. Tunc enim ventorum, & fluctuum ingentes procellæ, odia, videlicet, Scribarum, & Phariſæorum, cæterorumquè hoſtium, in ipſum exarſerunt, eo vſque, vt niſi illum è medio tollerent, actum de ſua Repub. eſſe exiſtimarent, dicẽtes: *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eũ, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Quamobrem decretum ab ipſis fuit, vnanimi conſenſu, vt Chriſto, mortem inferrent. *Ioan.* 11. 48.

¶ *ET miſerunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Ionam.*)

INDICATVR neceſsitas aduẽtus filij Dei in mundum, ad humanum genus copioſe redimendum, & Deo Patri exacte, & ex rigore iuſtitiæ, ſatisfaciendum. Quod ſanè per purum hominem fieri non poterat. Vt omnes Theologi Scholaſtici profitentur. Quamobrem neceſſum fuit, Dei filium incarnari, & crucis mortẽ oppetere. Quẽ per ſortes electum dicere poſſumus, in hoc ſenſu: Quia cum infinita Dei bonitas, & miſericordia, in humani generis

reparationem, faciendā esse statuisset, eaq; à puro homine fieri nō posset in diuinæ Trinitatis cōsistorio decretū fuit, personā Verbi debere carnē assumere propter rationes, quæ à Patribus, & Theologis assignantur. Et præsertim à D. Leone Papa, qui serm. 12. de passione Domini inquit: In hac autem ineffabili Trinitatis vnitate, cuius in omnibus communia sunt opera, atque iudicia, reparationem humani generis proprie filij persona suscepit, vt quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animauit, idem naturam nostram ab æternitatis arce deiectam, amissæ restitueret dignitati, & cuius erat conditor, etiā esset reformator. ¶ Et hoc pacto in Christum, quodāmodo incidit sors, altissimo Dei consilio in mundum missum, vt opus tám eximiæ charitatis, & amoris, erga humanum genus exequeretur. Et quemadmodum Ionam nautæ omnes, per sortes deprehensum, reum declaratum, in mortē tradendum esse, dijudicarunt. Ita Christū, omnes Prophetæ, & figuræ veteris Testamēti, ab initio vsque nascentis mundi, pro salute humani generis, morti obnoxium esse, prædixerunt, atque annunciarunt. Quin etiam diuino nutu, & instinctu, à Caipha declaratus fuit mortē dignus; vt totum humanum genus redimeretur. *Expedit, dixit ille, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* Quod animaduertit S. Euangelista nō à semetipso dixisse, sed cum esset Pontifex anni illius prophetasse. Idcirco in Apocalypsi vocatur Christus, Agnus, qui occisus est ab origine mundi. Non quod re vera, antequam aduenirent plenitudo temporis, à Deo præstituti, immolatus fuisset, sed quia immolandum in cruce, cæremoniæ legis, & Prophetæ omnes, suis figuris, & vaticinijs proclamarunt.

Ioan. 11. 50.

Apoca. 5. *num.* 12.

¶ Quod

¶ Quod etiam Ionas, vltro se morti obtulit dicens: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.*] In Christū quadrat verisime, & excellentisime; *Qui tradidit semetipsum pro nobis, oblationē, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Et, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Hac de re elegantisime agens D. Bernar. ser. 1. de Aduentu Dñi, ac Christum loquentem inducens, ita ait: Ecce (inquit Christus) occasione mei, creaturas suas Pater amittit, altitudinē meam primus Angelus affectauit, & populū, qui sibi crederet habuit; sed cōtinuo Patris zelus grauiter vindicauit, in illum, percutiens pariter cū omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiā quoq; quę nihilominus mea est, surripere voluit homo: & nè illi quidē misertus est, nec pepercit oculus eius: *Numquid de bobus cura est Deo?* Duas tantū fecerat nobiles creaturas, rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet, atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniuersos. Ergò vt sciant, quia, & ego diligo Patrem: per me recipiat, quos quodam modo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas hæc orta est* (ait Ionas) *tollite me, & mittite in mare.* Omnes inuident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum, vt quisquis inuidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Noui tamen in effectum malitiæ, & nequitiæ transijsse Angelos desertores, nec ex ignorātia aliqua seu infirmitate peccasse; ideoque iperire necesse est pœnitere nolentes.] Hæc Bernardus. In quibus, rationem reddit, propter quam Dei filius, secūda in Trinitate persona, reparationis humanæ opus, exequi, & Patri satisfacere voluit; Atque etiam, quare *Angelos nō apprehenderit, sed semen Abrahæ.* *Ad Ephe. 5. 2.* *Isai. 53.*

¶ Hinc est, vt hostibus ad eum comprehendendum

aduenientibus, obuiam processit, & tamquam Agnum mitissimum capi, vinciri, & ad mortem duci, permisit. Hanc sanè tempestatē, voluit ipsemet Christus repræsentare, in ea, quam passus fuit: *Cum ascendente in naviculā, secuti sunt eum discipuli eius; & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat, &c.* In quibus omnibus, teste Hieron. ostendit Christus, se in Iona fuisse figuratū. Nam quēadmodum Ionas, inualescēte tempestate, naue periclitante, socijs perturbatis, dormiebat; quasi nihil curans omnia eiusmodi: Ita Christus, conscensa nauicula, cum discipulis suis, in ipso tempestatis feruore, dormiebat, ac si nihil tale contingeret. Tum etiā vt Ionas, à gubernatore nauis fuit è somno excitatus: ita Christus, à Petro, & alijs Apostolis. Et sicut Iona demerso in mare, sedata fuit tēpestas, & nauis cum reliquis, qui ea vehebantur, euasit incolumis: ita per Christi Dñi passionē, consecutū est humanum genus, perfectam libertatē.

Matth. 8 23.

¶ Præterea notatu dignū est, quod nautæ prædicti, Ionā morti trādituri, nō strangularunt, nō ferro cōfoderunt, neq; alio mortis genere occiderūt; sed in mare demerserunt, vt ita vnde ipsis periculū imminebat, inde per Prophetę demersionem, salus, & incolumitas ipsorū resultaret. Egregius typus Christi mortis, qui non modis alijs, quam crucis, & sæuissimę passionis morte, erat occidendus, vt altissimo Dei decreto sancitū fuit; vt vnde mors oriebatur, inde & vita resurgeret. Quod idē Christus, cum Nicodemo legis doctore præstātissimo agens, eiq; mysteria Euāgelicę legis aperiēs, egregio significauit hieroglyphico de serpēte, in deserto per Moysen in crucē exaltato, in quē oculos intēdētes filij Israel, à mortiferis morsibus ignitorū serpentium sanabantur. *Sicut Moyses* (inquit) *exaltauit serpentem in deserto,*

Num. 21 9.

ferto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Admirabile certè mysterium, & Christi passionis significantissimum. Vt enim serpens ille, in crucem actus, æneus cum esset, solam gerebat serpentis imaginem, & nullum venenum propinabat, sed potius salutem, & vitam conferebat: Ita Christus, qui peccati similitudinem quamdam in se assumpserat, nō peccatū. Vt Paulus ait: *Deus filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne sua, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Non solū nullum habuit peccati venenum, sed potius in se ipso, per meritū Deificatæ carnis suæ, non quidem peccatricis, sed in similitudinem peccati assumptæ, peccati venenum extinxit in nobis, & vitam æternam largitus est. Quod ait Paulus: *Et de peccato damnauit peccatum.* Explicatu difficillimum est. Cōmunis interpretatio, sumit hic peccatum, pro hostia peccati. Vt sit sensus: De peccato, ideſt, de sacrificio, quod in carne sua obtulit pro peccato, ipsum peccatum sustulit. Peccatum in Sacra Scriptura, hostiam significare, satis aperte liquet. Sed profundior ab alijs, redditur huius loci expositio, hoc modo: Quod cum dicitur, de peccato, non significatur peccatum in Christo existens, quia numquam habuit peccatum in se ipso, sed induit peccatum, assumendo similitudinem carnis peccati. Et quemadmodum Christus morte sua, mortē nostram destruxit, & vita sua immortali, vitam nostrā reparauit: Ita peccato induto, ex similitudine carnis peccati, damnauit peccatum in carne. Aptissime siquidem, peccatum in carne nostra damnatur, merito innocentis carnis, indutæ peccatum: sicut mors, merito mortis: Quamobrem sicut mors in Christum inuecta, in quem ius propter peccatū, nullum habebat merito destructa

Ioan. 3. 14.

Rom. 8. 3

tracta fuit; ſi militer peccatũ damnatũ fuit in carne noſtra, quia in Chriſtum ſola ſimilitudine peccati indutũ, tyrãnidem ſuam exercere voluit, & ita peccatum, tamquam peccati reum condemnari debuit. D. Chryſoſtomus, quem ſequitur Theophylact. hæc verba elegantiſsime explanauit., dicens: Donec enim peccatores offenderet, (ſcilicet peccatum) iure optimo obitũ afferebat. Poſtea vero quam, corpus minime peccans reperit, illudque morti tradidit: condemnatum illud eſt, tãquam quod iniuriam attuliſſet. Vides quam diuerſæ victoriæ partæ ſint? Quod non victa ſit caro à peccato: Quod ea peccatum vicerit, ac damnarit: Quod nõ ſimpliciter damnarit; ſed damnarit tamquam quod peccauiſſet. Prius enim coarguit illud iniuriam feciſſe, ſicq; ipſum damnauit, nõ ſimpliciter fortitudine, ac poteſtate, ſed iure, ac ratione. Hoc enim patefacit dicẽs: (Paulus ſcilicet) de peccato damnauit peccatũ in carne. Ac ſi dixiſſet: Quod conuicit illud magno admodum de peccato, ac tum demum illud damnauit. ¶ Huc vſque Chryſoſt. Phraſis frequens admodum eſt Pauli, vocãtis Chriſtũ, peccatũ in abſtracto, vt 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit.* Ideſt, peccato ſimilem. Ponuntur abſtracta pro concretis, ad rem magis exaggerandam. Quare Theoph. in hunc locum ait: Ecquid? Nonne res ardua, & ineffabilis, quod filium ſuum, qui peccatum non norat, hoc eſt, qui ipſe iuſtitia erat, pro nobis morti ſubiecit, morique fecit, ceu peccatorem, ac ſceleratum? Maledictus enim, qui pendet ex ligno. Et cum iniquis reputatus eſt. Nec dixit quod peccatorem fecerit, cæterum peccatum, quod maius eſt. Cur iſthuc factum? Vt nos iuſtificemur, non ex operibus, & lege, verũ ex gratia Dei. Hæc enim eſt Dei iuſtitia, cum quis gratia iuſtificatus fuerit, vt nullus

Hom. 13. *ad Rom.*

2. *Cor.* 5. 21.

Dent. 21. *Iſai.* 53.

in eo

in eo nævus, nullave macula inueniatur. Propterea enim neque dixit, vt efficiamur iusti, sed iustitia Dei, excellentiam gratiæ ostendens. ¶ Hæc ille. & docte. Quamquam alij per peccatum intelligant, sacrificium pro peccato.

¶ *ET tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare á feruore suo.*)

HAEC in mare proiectio, innuere videtur, quod Christus, postquam à Iudæis fuit comprehensus, & coram Anna, & Caipha, & principibus Sacerdotum multipliciter accusatus, iniurijsq; affectus, ex communi decreto ipsorum, omniumque Magistratuum, Scribarum, & Pharisæorũ traditus fuit Gentilibus, per maris fluctus significatis, vt illuderetur, flagellaretur, & cruci affigeretur. Quod autem per mare, Gentilitas significetur, patet ex furore, & insania, qua in Christum debacchati sunt. Et ex testimonio Ioan. Apoc. 17. 15. *Aquæ, quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt, & gẽtes, & linguæ.* Et per mare gẽtes significari, asserit Augu. in Psal. 76. super verba. *In mari est via tua.* Dum inquit: In mari est via tua, idest, in gentibus prædicatur Christus tuus. Et infra: Cum dixisset, in mari est via tua, quod intelligimus in Gentibus. Et semitę multæ in aquis multis, quod intelligimus in populis multis, adiunxit, & vestigia tua nõ cognoscentur. ¶ Et in Christi passionem, tot populi, totq; diuersarum nationum homines cõcurrerunt, vt Regius Propheta admirabundus maximè exclamet: *Quare fremuerunt.* *Apoc. 17. 15.* *Psal. 2.*

muerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Qua de re fusius à nobis suo loco differetur. Et quamquam Pilatus præses, & gubernator illius Ierosolymitanæ Reipub. maximòpere nixus fuerit, Christum in libertatem asserere, innocentiam ipsius prædicans, ac publicè, & iuridicè conteſtans, tam atrox, & sæua fuit Iudæorum omnium iniquitas, vt quo Pilatus magis Christo fauere videbatur, eo ipsi Iudæi furiosius inclamabant: *Crucifigatur, crucifigatur.* Quamobrem præses, & si inuitus, tot ac tantis vociferationibus, minisque deuictus, Iesum cruci supplicio addicens, voluntati eorum tradidit; & veluti in profundissimum durissimæ passionis pelagus, deturbauit. Quare multo melius, quam Ionas in mare demersus, potest Christus Dominus in cruce affixus, torque dolorum, ac tormentorum fluctibus impetitus, Patrem orans, Dauidico ore exclamare: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, &c.* Qui psalmus, apertissimum de Christi morte, & passione continet vaticinium. Congruitque maxime cum oratione, quam in ventre Ceti Ionas ad Deum habuit. Vt facile videre est cuiuis, verba singula perpendenti.

Psal. 68.

(✠)

¶ CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

¶ *ET præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.)*

HAEC iam ſpectant ad typum mortis, ſepulturæ, & deſcēſus Chriſti ad inferos. Cetus enim deglutiens Ionam, præfigurauit, quod Chriſtus, à morte, & inferno deglutiēdus erat. Vnde os magni huius piſcis, mortis ſymbolum erat, quæ Chriſtum deglutiuit, vere in cruce mortuum. Seu potius (vt D. Petri phraſim ſequamur) mors ipſa à Chriſto deglutita fuit: *Per reſurrectionem* (inquit) *Ieſu Chriſti, qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, &c.* Deuoratio mortis, denotat quā auide, & ardenter, illam Chriſtus pro nobis obiuerit. Quæ enim deglutiuntur, famelicum appetitum demonſtrant. Quo pacto Chriſtus, eam deglutiens, infiniti ſui amoris igne, conſumpſit, mortificauit, viribuſque deſtituit. Simili loquendi modo, vſus eſt Paulus dicens: *Abſorpta eſt mors in victoria, vbi eſt mors victoria tua?* Mors enim ante Chriſti mortem, tamquam victrix, & præpotens, diriſsimam in totum humanum genus vim, ac tyrannidem exercebat: Quandoquidem omnes homines, quantumvis ſanctos, à cœleſti patria exules, deglutiens, infernis carceribus mancipabat: At vero per Chriſti mortem, mors deuicta, ac mortua fuit. Vt canit Eccleſia in Officio de Cruce: *O magnū pietatis opus, mors mortua tunc eſt in ligno, quando mortua vita fuit.*

1. *Pet.* 3. 22.

1. *Corin.* 15. 54.

Et

Et in Præfatione de Resurrectione: *Qui mortem nostrã moriendo destruxit.* Quod quidem ipsi morti comminatus antea fuerat per Oseam dicẽs: *O Mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Qua propter merito Paul⁹, morti ipsi irridens, exprobrabat imbecillitatem loco citato: *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est.* Vocat peccatum, stimulum mortis, aptissime; sumpta metaphora ab apibus, quæ si in quopiam animato corpore, aculeum, seu stimulum infigant, protinus moriuntur: ita mors, in Christum filium Dei viui inuecta, qui omni carebat peccato, stimulum amisit: Quia peccatum sublatum est, per immaculatum Dei Agnum, & ex consequenti, cœli fores reseratæ, humanum genus redemptum à seruitute Diaboli, & ita ipsa mors, quæ antea erat inferni lictor, atque vehiculum, effecta est pons, & via ad æternam vitam. Vnde cum antea nihil ipsa posset esse horribilius, nunc adeo est seruis Dei dulcis, & amabilis, vt cũ Paulo cupiant dissolui, & esse cum Christo: Et cum Dauide vitæ huius pertæsi, dicant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quamobrem Ecclesia, Sanctorum martyrum, & iustorum ex hoc mundo decessum, natale apellans, festiuissimis gaudijs concelebrat; nam in nouam, æternam, incorruptibilemque vitam, quasi enasci videntur.

Oseæ. 13. 14.

Psal. 119. 5.

¶ Per ventrem Ceti, significari locum infernum, liquet apertissimè, ex Christi testimonio: *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Hæretici nostri temporis, negantes Christi descensum ad inferos, perperã, & impie contendunt, per *cor terræ*, nihil aliud esse accipiendũ, quam sepulchrum. At vero catholica fides, & propria nominis significatio cogit nos

Matt. 12.

nos intelligere per *cor terræ*, locum aliquem terræ profundissimum, in eius centro positum: quemadmodum cor in animali, (vnde translata est similitudo) locum mediũ, & abstrusum obtinet; Quamuis lato modo cor terræ, possit etiam dici ipsum sepulchrum; quemadmodum dicitur vterus, seu venter terræ apud Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Iob. Matrẽ suam vocat terram, quæ cõmunis est mater omnium mortalium. Non solum, quia ex ipsa per prothoparẽtem, quoad corpus, genus ducũt, & originem; fructibusque eius, & commodis aluntur, augentur, cõseruantur: sed etiam, cum mortui sepeliuntur; quasi denuo in vterum, & viscera terræ matris, excipi videntur. Quamobrem non male dici potest, Christum in sepulchro, secundum hanc latam significationem, in corde terræ extitisse. Vt ita in eo totus Christus fuerit, videlicet: quoad animam in inferno: & quantum ad corpus in monumento. Quare stricte *cor terræ*, significat centrum eius profundissimum. Vbi iuxta cõmunem Theologorum doctrinam, quatuor sunt receptacula, seu domicilia, in quibus animæ defunctorum pænas luere solitæ sunt. Primum receptaculum omnium infimum, est dãnatorum in peccato mortali decedẽtiũ, æternis cruciatibus torquendorũ. Secundum est, puerorũ in peccato originali morientium, sempiternæ diuinæ visionis pæna affectorum; vulgo appellatum, limbus puerorum. Tertium est, purgatorium, in quo, in gratia mortem obeuntes, peccatorum tamen pænis soluẽdis obnoxij, perpurgantur. Quartum domicilium supremum à centro ascendendo, sinus est Abrahæ, in quo iusti omnes, nullius pœnę sensus debito obstricti, ante Christi mortem morientes, detinebantur inclusi: & in hoc habitaculo, tamquã in terræ corde, Christus triduum exegit.

git. Nam simul atque sanctissima eius anima, quæ pars erat humanitatis præcipua, è corpore exiuit, in cruce remanente diuinitati vnita; descendit summa, cum maiestate, & potentia, primo ac præcipue in tenebrosum Abrahæ sinum; ipsumque suæ præsentiæ ineffabili claritudine illustrauit, atq; tot sanctorum Patrum animas, diuinæ visionis fruitione, beatas effecit. In hunc locum descendisse realiter, & secundū suam essentiam, articulus est de fide, in symbolo Apostolorum cōtentus, verbis illis: *Descendit ad inferos.* Quod de reali, & præsentiali descensione semper catholica intellexit Ecclesia. Probaturque auctoritate Pauli: *Quod autē ascendit, quid est nisi quia, & descendit primum in inferiores partes terræ?* Certissimum est autem, iuxta fidem Catholicam, Christum non ascendisse in cœlum, quoad effectum solummodo, sed etiam quoad suam realem personam. Eodem quoque modo, ipsemet secundum animam, descendit ad inferos, vere, & realiter. Probatur etiam apertissime ex Psal. 15. *Quoniam nō derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionē.* Quod de Christo ad litteram esse intelligendum, testatur D. Petrus Act. 2. ad probandam Christi veram, & realem resurrectionem; hoc eodem vtens testimonio; Quod de vera, & essentiali præsentia animæ Christi, necessario est accipiendum. Et tandem diffinita est hæc veritas in Concil. Lateran. & habetur in cap. Firmiter. de sum. Trinit. & fide Cathol. & in Concil. Toletan. 4. in confessione fidei. Quare nullo modo auscultandus est Durand, asserens, Christum non descēdisse ad inferos, nisi secundum suam virtutem; educendo animas sanctorum Patrum, & illis applicando efficaciā passionis suæ. Hæc enim opinio erronea prorsus est, cum manifestè sit cōtra Sacram Scripturam, vt ab omnibus sanctis Doctoribus

Ad Ephe. 4. 9.

Psal. 15.

Actuū. 2. 10.

bus exponitur, & contra comunem omnium Theologorum ſententiam. Et quod caput eſt, cõtra diffinitionem Eccleſiæ. De hac re vide D. Tho. 3. p. q. 52. art. 1. & ibi Scholaſticos interpretes. Præſertim Suarez. diſput. 43. ſect. 2.

DVbium tamen eſt de alijs tribus locis inferni, an ad ipſos deſcenderit. Et quidem pro certo exiſtimo, ex cõmuni Theologorum ſententia, non deſcendiſſe ad locum damnatorum; neque in puerorum limbum. Ratio eſt. Quia deſcẽſus finis, fuit animabus pijs, fructus, atque beneficia paſsionis ſuæ conferre: & præſertim ſanctis Patribus, in Abrahæ ſinu exiſtẽtibus, quibus eſſentialem beatitudinem, & accidentalem lætitiã, diuinorum myſteriorum reuelationem, è carcere liberationem, & alia eiuſmodi elargitus eſt. Quorum incapaces, erant animę, propter peccatum, tam actuale, quã originale, æternis ſupplicijs addictæ. Benè tamen poſſumus dicere, in prædicta duo domicilia infima deſcẽdiſſe, quoad aliquẽ effectum, provt omnes illæ animæ, Chriſti maieſtatem, & potentiam, in ſuo deſcenſu perſentientes, terribili metu correptæ, exaltationem nominis Ieſu agnoſcentes, illud reuereri, atque venerari coactæ fuerunt. Iuxta illud Pauli: *In nomine Ieſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, &c.* Philip. 2. 10. Sed dæmones, & maligni ſpiritus, præcipuè huiuſmodi timore, atque ſtupore perculſi conturbatique ſunt. Vt Moyſes in ſuo Cãtico præcinuit: *Cantemus Domino glorioſe enim magnificatus eſt.* Exod. 15. In quo miris laudibus celebrat, inſignem illam victoriam, quam Deus Opt. Max. de Pharaone, eiuſque exercitibus retulit, cum populum Iſraeliticum, ex Aegyptiaca captiuitate erueret; ipſum traducens per mare Rubrum, in locum tutiſsimum, atq; liberri-

liberrimum. In quibus expreſſe fuit ſignificata, imago glorioſiſsimi triumphi, quem Chriſtus obtinuit in cruce, contra Sathanam, omneſque, eius exercitus, contra mortem, & cõtra peccatum. Dicit enim Moſes: *Equum, & Aſcenſorem proiecit in mare.* Quia Chriſtus mortem, & peccatum, in mari Rubro ſanguinis & paſsionis ſuæ, deuicit, atq; euertit. Equus, figurabat peccatum; Mortem, Aſcenſor. Nam per peccatum, mors inuecta fuit in orbem terrarũ. Vt Paul. inquit. Deinde dicitur à Moſe: *Currum Pharaonis, & exercitũ eius proiecit in mare.* Quod ad dæmonem, omneſque Tartareos exercitus, referendum eſt; qui per Chriſti mortem, prorſus debellati, & ſuperati ſunt. Denique illa verba: *Tunc conturbati ſunt principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan:* Myſtice denotant, eoſdem dæmones, qui ex hoc Chriſti deſcenſu ad inferos, incomparabili terrore, metuquè correpti fuerunt, & appellantur his tribus nominibus: Principes Edom, robuſti Moab, & habitatores Chanaan. Quia ipſorũ regnum, his tribus capitalibus vitijs, ſummopere fulcitur, & conſeruatur, videlicet; luxuria, ſuperbia, & auaritia. Nam vt D. inquit Ioannes: *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Luxuria per Edom, hoc eſt, rufus, ſignificatur. Superbia per Moab, ideſt, ex patre: vel quia ſuperbi generis ſui nobilitate efferũtur: vel quia vt prothoparentis imitatores, Dei ſciẽtiam æmulari cupientis, ambitione intumeſcunt. Per habitatores Chanaan, ideſt, negotiatores, auaritia innuitur. Quæ in congerendis per fas, nefaſque opibus, efferueſcit.

Rom. 5. 12.

Epiſt. 1. eap. 2. 16

3. par. q. 25. ar. 8.

QVOD attinet ad purgatorium cenſet D. Thom. quem ſequuntur plurimi, nõ fuiſſe Chriſti præſentia illuſtratum, niſi quoàd effectum, in quãtum animas

mas, quæ iam exoluerant, pœnarum debitum, inde eduxit. Et ex sententia D. Augustini, in responsione ad 1. censet nō esse impossibile, sed piè credibile, quod alias etiam, pœnis adhuc obnoxias liberauerit, quæ dum in humanis agerent, meruerunt per fidem, & deuotionem ad mortem Christi, vt eo descendente, liberarentur à temporali purgatorij pœna. Et quamuis potuisset beatissima Christi anima, absque substantiali suo descensu, sed per solam suam virtutem, educere animas iustorum ex inferno; noluit tamen, nisi ipsemet descendere. Et præter rationes doctissimas, quas adducit D. Tho. Tres mihi se se offerunt. Prima est, ad ostendendā eximiam suæ humilitatis perfectionem, qua non solum ad crucis vsque passionem se se demisit, factus Patri obediens: sed etiam vsque ad profundissimum terræ locū descendens, se humiliauit. Hanc rationem indicare videtur D. Paulus cum loco citato ait: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ.* Sumpta metaphora à fonte aliquo vberrimo, vel fluvio, qui quo altius erigitur, eo profundius se demittit. Vnde optimè Paulus argumētatur: Quod Christus propterea exaltatus est super omnes cœlos, quia prius humiliatus est ad inferiores partes terræ. Hinc est vt se Christus fluvio inundanti contulerit, dicens: *Ego sapiētia effudi flumina, &c. Ego quasi fluuij Dyorix, & sicut aquæ ductus exiui de paradiso. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, &c. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quemadmodum igitur flumen rapidissimum, cum exuberat, solet omnia circumquaque loca, tàm superiora, quam inferiora, aquis suis irrigare, & fœcūdare: ita Verbum incarnatum, æterni Patris sapientia, asserit se per passionem suam inundasse, & vsq; ad

3. p. q. 52. art. 1. & seqq.

Eccleſia. 24. 40.

ad profundiſsima terræ loca penetraſſe. Vnde etiam in ſuperiora cœli culmina conſcendit.

¶ Secunda ratio: Ad manifeſtandum ardentiſsimũ amorem ſuum in totum humanum genus, quem omnimode voluit exercere, & peculiariter, erga ſanctos illos Patres, quorum animæ, tot annorum millibus, fœliciſsimum, optatiſsimumq; eius aduentũ expectarunt. Quos Chriſtus Dominus voluit per ſe ipſum eruere, viſitare, cõſolari, præfataque omnia beneficia conferre. Quemadmodum ſi Rex aliquis potentiſsimus, amicos quoſdam, & aulicos ſuos, ab hoſte captiuos, & in ergaſtulũ coniectos, debellato hoſte, eiuſque imperio deſtructo, ipſemet perſonaliter in lacum, ſeu carcerem accedens, eos inde educeret, multis muneribus affectos: maior certè eſſet amoris ſignificatio, quam ſi per miniſtrum aliquem, ipſos in libertatem aſsereret: ita Chriſtus voluit per ſe ipſum eſſentialiter infernum deſcendere, & de lacu miſerię, & tenebroſo carcere, iuſtorum animas liberare, ſummis beneficijs cumulatas.

¶ Tertia ratio: Quia voluit limbum Abrahæ, qui tamquam infamis, & locus dedecoris habebatur, ingẽti honore afficere: ipſum ſua præſentia illuminando, & locum gloriæ, ac beatitudinis efficiendo. Vt hoc etiam pacto, Abrahæ, cæterorumq; fidei ſuæ ſectatorum, decus maximum, impartiret, & tenebrarum principi, eiuſq; miniſtris, maius dedecus, tormentumq; inferret. Quod vero hic limbus, redditus ſit beatitudinis domicilium, per animæ Chriſti præſentiam; conſtat apertè, ex dicto eiuſdem Chriſti: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Vocat paradiſum, ipſum limbum, in quem deſcendens S. latronis anima, ſtatim vidit diuinam eſſentiam. Vt ſacri interpretes exponunt. *Luc. 22.*

¶ Quare autem tribus diebus in limbo manſerit, & non

non pluribus, vel paucioribus. Prior cauſa ad litteram ſpectãs, aſsignatur à Theologis: vt ita & veritas mortis Chriſti, & neceſsitas reſurrectionis pateſceret. Si enim ante triduũ reſurrexiſſet. Dubitari poſſet, an vere eſſet mortuus. Cum morbi ſint multi, talia deliquia inferentes, vt per plurimas horas, qui ea patiuntur à ſenſibus alienati, & quaſi mortui perſiſtant, non tamen vſque ad triduum, vt cenſet D. Tho. præſertim in morte violẽta, qualis fuit Chriſti, de qua nulla fuit apud Iudæos dubitatio, vt conſtat ex Euangelijs. Quidquid dixerit Middelburgenſis affirmans poſſe aliquem morbo correptum, vſque ad tertium diem, quaſi mortuum iacere: & propterea Chriſtum, mortuum extitiſſe tribus diebus, & tribus noctibus integris. Ad quod probandũ argumenta adducit, à cõmuni totius Eccleſiæ conſenſione abhorrentia. Quæ adducit, & merito confutat Marcellus Francolinus in tract. de temp. hor. canon. cap. 50. Neq; decuit vltra triduum differri reſurrectionem Chriſti: Tum propter vaticiniorum, & figurarum adimpletionẽ: tum ne daretur Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti, de eius reſurrectione deſperandi occaſio. Vnde Leo Papa ſer. 1. de reſurrect. docens Chriſtum Dominum, non longiorem in limbo feciſſe moram, ſed ſtatim tertia die incipiẽte, reſurrexiſſe, cauſam reddit huiuſmodi: Ne turbatos diſcipulorũ animos, lõga mœſtitudo cruciaret.] Nam ſi vltra tres dies, dilata fuiſſet reſurrectio, quis nõ videt quam acri mœrore, ac afflictione cõtabeſcerent? Si enim duo ex diſcipulis, ipſamet die reſurrectionis Emauntem proficiſcentes, rem iam fere deſperauerant, & dicebant, loquentes cum Chriſto reſuscitato, ſed nõdum ab ipſis agnito: *Quomodo eum tradiderũt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum? Nos autẽ ſperabamus quia ipſe eſſet redemp-* Luc. 24. 20.

turus Israel: & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quod facta sunt. Quid si plures exacti fuissent dies, cum nondū tertia transacta, iam Ierosolyma abeuntes, christianam fidem, & disciplinam, quasi deserere viderētur? Hūc accedit, quod quia Christus est ad benefaciēdum & miserendū promptissimus & festinantissimus, æquū sane erat, vt quā posset citius, corpori suo glorificationem, satis superque promeritam, cum omnibus eius dotibus impartiret. Deinde matrem suam (cuius animam iuxta crucem stantis, gladius doloris pertrāsiuerat) immenso gaudio perfunderet; & consequenter, mulieribus pijs, discipulisq; cęteris, tristitia & dolore cōfectis, solatium & gaudiū suo conspectu largiretur. Prętera, cōgruum erat, vt quemadmodum in sua pueritia; à parentibus amissus, per tres dies quæsitus, tertia inuentus est in Templo, doctoribus legis constipatus; ita grādis, per mortem á Virginis oculis ereptus, post triduum se illi vivum, glorioſumque conspiciendum, exhiberet.

¶ Secunda ratio mystica est, vt significaret se descēdisse ad inferos, liberaturum inde, iustorum animas, absque discrimine. Triplex namq; erat hominum status in limbo prædicto cōmorantium. Primus, illorum qui in lege naturæ vixerunt, & in Dei obsequio decesserūt, vt Adam & Eua, Abel, Seth, Enos, Noe, Abrahā, Isaac, Iacob, &c. Secundus status, illorum, qui in lege scripta floruerunt, vt Moyses & Aaron, Iosue, Samuel, Dauid, Ezechias, Iosaphat, omnes Prophetæ, tam maiores, quā minores, &c. Tertius ordo illorum, qui iam quodāmodo ad aduentū Christi pertinebāt, vt Ioachim, & Anna parentes B. Virginis, Simeō iustus, & Anna prophetissa, Ioseph sponsus Mariæ, Ioānes Baptista, bonus latro, & alij similes, quos omnes, Christus quamquā quoad essentialem gloriam, iuxta vniuscuiusque merita, beatos reddidit,

reddidit, at vero quoad perfectam libertatē, æquali beneficio locupletauit. Similis ratio etiam mystica adducitur à D. Tho. 3. p. q. 43. ar. 2. in corpore, vbi sic ait: Quod per resurrectionē Christi tertiū tempus incipiebat, nam primū fuit ante legem, secundū sub lege, tertium sub gratia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status sanctorū. Nam primus fuit sub figuris legis: secūdus sub veritate fidei: tertius erit in ęternitate gloriæ, quam Christus inchoauit resurgendo.] Aliam rationē moralem, seu potius litteralem affert D. Athanas. lib. de incarn. Verbi: Ne quispiam, inquit, obijceret, ipsum non idem, sed aliud corpus circumferre, ea de causa vltra triduum moram non passus est, neq; eos, qui ipsum audierant de resurrectione promittentem, in longum distulit: sed cum adhuc propemodum verba illa in eorum auribus obstreperent, oculique eius speciem retinerent, intra tridui spatium, quod plusquam mortuum erat, immortale, & incorruptibile omnibus ostendit, qno intelligeretur, illud non imbecillitate naturæ, cum Verbum in eo domicilium suum haberet, extinctum fuisse, sed ideo extinctum, vt mors viribus nostri Saluatoris Iesu Christi aboleretur.] Hæc Athanas. doctissime & elegantissime.

¶ Offert se iam hoc loco pro instituti nostri ratione breuiter explicāda, grauis illa quæstio: Quo pacto vere dicatur Christus, fuisse in inferno tribus diebus, & tribus noctibus, videlicet, naturalibus, de quibus proculdubio est sermo, & per Synecdochen partem pro toto accipiendo. De tribus diebus parua, aut nulla est ambiguitas. Nam prima dies fuit pars diei Veneris ab hora mortis Christi, vsque ad mediam noctem: Secunda fuit dies Sabbati integra viginti quatuor horarum, à media nocte, vsq; ad mediam noctem: Tertia dies Dominica,

à media nocte vsq; ad horam resurrectionis. De tribus noctibus magna est difficultas: Quia non inueniuntur nisi duę. Prior est à vespere diei Veneris vsq; ad mediã noctem; altera similiter, à vespera Sabbati vsq; ad mediam noctem, à qua iam tertia dies incipiebat. Circa hanc quæstionem, multæ, ac variæ sunt Theologorum, atque interpretum opiniones. Prima est, nonnullorum asserentium, Christum fuisse in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus naturalibus integris; & ex cõsequenti septuaginta & duabus horis. Hanc opinionẽ in primis amplectitur Paulus Middelburgensis in 2. p. suę Paulinæ lib. 1. & 2. Et ad eam probandam, quædam argumenta cõminiscitur, falsa profecto, & ab omni consensu sacrorum Patrum, & Theologorũ aliena, quę breuitatis studio prætermitto. Afferuntur tamen, & refutantur à Marcello Frácolino loco superius citato. Alij huic opinioni de tribus diebus integris adhærẽtes, aliã probandi ineunt rationem, numerando hos dies, & horas, ab ea nocte, in qua Iudęi Christum apprehenderũt, & protendunt vsq; ad vesperã diei Dominicæ; in qua discipulis apparuit: & ita aiunt, Christum in sepulchro iacuisse tres dies integros & tres noctes, partim affectu & volũtate Iudæorum, partim re ipsa, partim falsa opinione discipulorũ. Sed hæc opinio valdè dura, & violenta videtur.

¶ Tertia opinio fuit asserẽtium tres noctes, hac ratione esse computandas; vt prima nox, fuerint tenebræ illæ, quæ contingerunt in passione, ab hora sexta vsq; ad horam nonam: secunda nox, à vespera Veneris vsq; ad mediam noctem: & tertia, à vespera Sabbati vsque ad mediam noctem. Dies manifesti fiunt, vt diximus. Sed hæc opinio nullo nititur fundamento; & merito à viris doctis exploditur: tum quia Christus, dicẽs se futurum

turum in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, loquitur de diebus veris, proprijs, & naturalibus, non de metaphoricis, & miraculosis. Nam tenebræ illæ cũ mirabiles fuerint, præsente sole in hemisphœrio, atq; etiam in plenilunio, nulla ratione nox, appellãdæ sunt. Nox enim est carentia lucis propter absentiam solis ab hemisphœrio: tum etiã quia tenebræ illæ acciderunt viuente adhuc Christo in cruce, & ita nõ esset verum, quod per illam noctem, fuerit in corde terrę. Huic opinioni videntur subscribere Gregor. Nyssen. orat. 1. de resurrect. Hilar. can. vlt. in Matth. Theophyl. Matth. 28. Et D. Isidor. Pelusiota. lib. 1. epist. 114. Eam etiã adducit, sed non multum probat. Huius etiam meminit D. Hieron, in cap. Ionæ 2. & D. Augu. lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 24. Eam tamen reijciunt, propter rationes adductas: & etiam quia nõ diceretur, tunc temporis vere fuisse in corde terræ, cum esset potius in aëre, de cruce pendens.

¶ Quarta, & quidem verior, facilior, & communior opinio est; vnam noctem vnius dici naturalis, non esse totam noctem continuam, quæ est ab occasu solis, vsq; ad ortum, sed duas complecti partes noctis, inter quas artificialis dies cõtinetur. Quarum altera incipit à media nocte, vsque ad ortum solis; Altera vero ab occasu solis, vsque ad mediam noctem. Dies enim naturalis à media nocte incipit, & in mediam noctem sequentem protenditur, vt communiter naturales dies, & noctes metiri mos est. Quod etiam notat Caiet. Luc. 2. super illa verba: *Quia natus est hodie Saluator.* Colligens ex illis, Christum natum fuisse post mediam noctem, cum Angelus Christi natiuitatem pastoribus annunciaret, multo ante solis ortum. Et similiter Ecclesia, institutionem Eucharistiæ computat factam, die Iouis; Quia *Luc. 2.*

licet facta fuerit noctu, fuit tamen facta ante mediam noctem. Vnde sequitur, primum diem, ac primam noctem mortis & sepulturæ Christi, durasse ab hora Nona diei Parasceues, qua Christus expirauit, vsque ad mediam noctem. Secundam vero diem ac noctem, vt diximus, fuisse integram, à duodecima hora noctis Parasceues, vsque ad duodecimam horam noctis Sabbati. Tertiam vero noctem & diem, numerari à duodecima hora noctis Sabbati, vsque ad auroram diei Dominicę. Et ita in vtroque extremo accipitur pars diei, & pars noctis, & recte per Synecdochen verificantur tres dies, & tres noctes. Hanc sententiam, præter multos alios Ecclesiæ Patres, signanter sequuntur D. Leo Papa ser. 1. de Resur. vbi inquit: Nihil de dierum numero deperijsse, dum ad integrum secundum diem, pars primi nouissima, & pars tertij prima, concurrit.] Et Anselm. Matth. 12. fere ijsdem verbis: Nam primus, inquit, dies à parte extrema annumeratus est, dies vero tertius à parte prima.] Explicans vero has partes addit: Sextæ quidem feriæ diei partē, in qua sepultus est, cum parte noctis pro nocte & die accipiens, Sabbatū cum nocte, & die, noctem Dominicam cum eadem die illucescēte pro toto similiter accipiens, habet triduum, & tres noctes.] D. etiam Isidorus Pelusiota lib. 1. epistol. 114. nonnullos affert hos tres dies & noctes numerādi modos, in quibus hunc vltimum, sequi videtur, dicens: Quod si tertiam ex me intelligere postulas, ea est eiusmodi: In die Parasceues Dominus Spiritum tradidit, en vna dies, Sabbatum totū in sepulchro exegit. Postea eius noctem, lucescēte Dominica, è sepulchro surrexit. Id quoque dies est, siquidem à parte, vt nosti, totum intelligitur.] Et iuxta hunc numerandi morem totum triduum, continet spatium fere quadraginta horarum.

Quod

¶ Quod attinet ad dies & noctes artificiales, D. August. 4. de Trinit. cap. 3. quem sequitur D. Thom. 3. p. q. 52. art. 4. asserit fuisse duas noctes integras, & diē vnum integrum intermedium: Quia per mortē Christi liberati sumus à duplici morte, scilicet, à morte animę, & à morte corporis, quod significatur per duas noctes, quibus Christus in sepulchro permansit: mors autem eius, quia non fuit ex peccato proueniens, sed ex charitate suscepta, non habuit rationem noctis, sed diei, & ideo significatur per diem integrum, quo Christus fuit in sepulchro. Hæc expositio optima est, si mysterium, non littera spectetur. Ad cuius veritatem, tres dies, & noctes assignandæ sunt.

NON est audiendus Nicephorus lib. 1. histor. cap. 31. dicens: Eadem die & hora, qua Christus descendit ad inferos redijsse, secum ducētem Sanctorum animas, & cum eis ad paradisum terrestrem transijsse. Pro qua sententia adducit Chrysostomum, nullo loco citato. Prior Nicephori ratio est: *Quia in cruce pendens promisit latroni; Hodie mecū eris in paradiso.* Quę verba propriè sunt intelligenda, non metaphoricè. Et cum paradisus in sacris litteris, denotet hortum amœnissimum, in quo primi parētes, à Deo fuerunt constituti; non est quod ad metaphoram confugiamus: per paradisum accipiendo sinum Abrahæ. Hæc tamen sententia Nicephori friuola, & voluntarie admodum videtur conficta: quia est aperte contra communem sanctorum Ecclesiæ Patrum consensum: immo & veritati litteræ valdè aduersatur, dicente Christo: *Sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Ad rationem de paradiso, dicimus; non semper in sacris litteris pro paradiso, accipi paradisum terrestrem, seu

2. Corin. 12. 4.

locum alium delectabilem: sed accipi etiam pro cœlo empyreo, seu loco beatitudinis. Vt apud Paul. de se loquentē: *Quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Vbi per paradisum, fere omnes interpretes, intelligunt cœlum empyreum. Quod idem Paulus ibidem paulo ante vocat, tertium cœlum. Et in Apocal. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* In quo loco, quamuis allusio fiat ad lignum vitæ, plantatum in paradiso terresti; altior & quidem litteralis est sensus, de paradiso, in quo, ligni æternæ vitæ fructus, hoc est, essentialis beatitudo, vincentibus in hac vita confertur. Quamobrem voluit latroni Christus significare, ipsi descendenti in infernum, beatificam visionem, eadem die Veneris concedendam. Quemadmodum enim, vbi Rex est, ibi eius curia: ita vbicumque se Deus clare videndum exhibuerit, paradisus est, seu locus beatitudinis.

2. *Corin.* 12. 4.

Apoca. 2. 7.

¶ Altera Nicephori ratio: Quia nō fuit consonum Christi dignitati, animam eius apud inferos retineri: qui nihil prorsus, à primi parētis maledictione, & exitio secū attulerat. Hęc certe ratio, nullius est momenti. Tum quia sanctorum Prophetarū oraculis prædictum erat; immo ipsiusmet Christi ore, quod in corde terræ futurus erat, tribus diebus & trib⁹ noctibus: & die tertia resurrecturus. Tum deniq; quia si id nō erat Christi dignitati consentaneum, non debuisset eo descendere, etiam per vnius horę, vel momenti spatium. Neque illuc descendit vt peccator, sed vt peccati destructor, non vt captivus, sed vt captiuorum redemptor: non vt pateretur, sed vt sedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret, lætificaret, beatosque efficeret. Vt satis fuse diximus.

¶ ET

¶ *ET dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.)*

ELVSCET iam hic apertissimè mysterium glorioſæ Christi Reſurrectionis. Nam ſicut Ionas deuoratus à Ceto, & triduo in eius vẽtre detentus, figuram geſsit mortis Christi, & deſcenſionis ad inferos: ita euomitus in aridam, ſanctiſsimam Christi reſurrectionem, repræſentauit. De hoc ſigno præcipuè videtur Chriſtus cũ Iudæis egiſſe, dicens: *Generatio praua, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Tametſi enim mors eius, ſignum extitit admirabile, quod cœlum terramque obſtupefecit, vt portenta quæ in eius morte acciderunt, oſtendunt. Quia tamẽ Iudæi, in ſua remanſerũt perfidia, & quod Chriſtus eſſet reſurrecturus abominantes, ac pro re impoſsibili habentes: odio quo in ipſum flagrabant, dixerunt Pilato: *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam: iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium, ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi; ſurrexit à mortuis, & fiet nouiſsimus error peior priore.* Hinc patet, nullum Chriſti ſignum fuiſſe illuſtrius, neque potentius ad fidem confirmandam, & Iudæos confundendos, quam reſurrectionem ſuam. Quæ tanti erat momenti, vt ad eam probandam quadraginta dierum ſpatium conſumpſerit, antequam in cœlum aſcenderet: *Apparens diſcipulis ſuis, in multis argumentis, & loquens de regno Dei.* Vt ait Lucas Act. 1. Vnde & Paul. merito dixit: *Si autẽ Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra.*

Matt. 12. 39.

Matt. 27. 63.

Actuũ. 1.

Corinth. 15. 14.

Quaſi

Quasi dicat: Totum Christianæ fidei pondus in eo nititur, vt Christum resurrexisse credamus, qui re vera resurrexit, & sua resurrectione, nobis æternam, & corporis & animæ, in æternam vitam, resurrectionem promeruit. Sed vt ad figuram reuertamur, maxima videtur dissimilitudo esse, inter Ionam & Christum: Nam Ionas, non sua virtute, sed Dei, prodijt ex ventre piscis. Christus autē propria sua potentia, ex inferno egressus fuit. Ionas à pisce dicitur euomitus, Deo præcipiente; Christus non potest dici euomitus, neque proiectus ab inferno. Sed audeo dicere, etiam in hoc, nonnullam, Christum cum Iona speciē habuisse. Occasionem sumo ex verbis D. Petri, de Christi resurrectione in hūc modum loquentis: *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo.* Dolores inferni dicit fuisse solutos: vel quia Christus in infernum descendens, iustorum animas à doloribus, quos ob carentiam diuinæ visionis patiebantur, absoluit: vel quia ipse, cum in infernum descendit, iam solutus, & immunis fuit, à mortis, & passionis doloribus: vel quia infernus ipse, ex Christi præsentia vehementer deterritus, indoluit; & veluti sibi noxium ferre nō valens, optabat expellere. Ex quo infert D. Petrus; Quod impossibile erat, Christū ab inferno teneri. Experimento compertum est, quod cum animalia, cibum aliquem edunt, aut deuorant, nocivum, aut stomacho suo incommodum; statim ventris dolores, & tormina patiuntur, donec incitante nausea, cibum euomant. Ita quodammodo se habuit infernus, Christum sponte se intromittentem, deuorans: non enim Christus erat cibus, stomacho inferni conueniens, immo valde contrarius, & exitiosus. Cibus siquidē inferno congruens, erant puri homines, ac peccatores, pœnis, & calamitatibus

Actuū. 2. 24.

tibus obſtricti. Vnde Geneſ. 3. dictum eſt dæmoni ſerpenti antiquo: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Geneſ. 3. 14. Ideſt, homines terrenos, & peccatores, vt ait Gloſſa Interlin. Chriſtus vero, eſt Deus & homo: Homo ſecundus de cœlo cœleſtis; ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Quamobrem infernus, talem tantamque eſcam ſtomacho ſuo tenere non potuit, ſed eam reddere, & veluti euomere compulſus eſt, maximo accepto nocumento, ingenti, ſcilicet, præda, quam egrediens ex eo Chriſtus diripuit, ſecumq; eduxit. Syriaca lectio, pro ſolutis doloribus inferni, habet: *Soluitque funes inferorum.* Nam funes, ſeu vincula inferni, erãt æternæ beatitudinis priuatio, carceris detentio, & id genus alia, à quibus Chriſtus in infernum deſcendens, ſanctorum animas exſoluit; & ſi de ipſo Chriſto velimus intelligere: Veriſime dicemus, eum ſuaptè natura, ſolutum & immunem fuiſſe, ab huiuſmodi inferni funibus. Iuxta illud Pſal. *Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacũ: factꝰ ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.* Pſal. 87. 5. Quę ad litteram de Chriſto interpretantur Auguſt. Euthym. Gloſ. & alij. Ipſe enim, tamquam ſi eſſet purus homo, & mortis miſerijs obnoxius, æſtimatus fuit à Iudæis, ſimilis cæteris, in infernum deſcendentibus, ſine adiutorio ſeu robore inde egrediendi, & ad vitam redeundi: ſed cum eſſet Deus, & homo, Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum & Rex gloriæ, fuit in inferno inter mortuos liber: quia nec mortis, nec inferni vinculis cõſtringi, nec legibus potuit ſubiacere: immo virtute propria ſe ipſum à mortuis excitauit. Chaldaica Paraphraſis ſic habet: *Reputatus ſum cum deſcendentibus in domum vinctorum: fui ſicut homo, cui nullæ ſunt vires.*

¶ Huc

¶ Hùc ſpectant illa Chriſti verba, apud Oſeam, quæ ſuperius citauimus: *O mors, ero mors tua, morſus tuus ero inferne.* Quæ primo, & præcipue actiuam habent ſignificationem, vt ſit ſenſus: O inferne, ego glorioſo meo deſcenſu, te mordebo; magnam ex te partem, & prædã auferẽs. LXX. translatio, diuerſis pluribuſq; verbis, ſed eodẽ fere ſenſu, ita habet: *Vbi cauſa tua mors? vbi aculeus tuus inferne?* Vnde exiſtimo cum Hieronymo, & alijs, D. Paulũ deſumpſiſſe probra illa, & dicteria, quibus morti inſultabat (vt ſupra vidimus) dicens: *Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus enim mortis peccatum eſt, &c.* Ijſdem enim ferè verbis ſubſannatur infernus hoc loco Oſeæ, iuxta LXX. verſionem; Nam eodem triumpho Chriſtus de morte, & inferno glorioſiſſimam victoriam reportauit. Quemadmodum enim morti, per ſuam mortem abſtulit peccati ſtimulũ, quo in totum humanum genus graſſabatur; ita morte deuicta, abſtulit inferno aculeũ, quo omnes filios Adã cõfigebat, ſubiugabat, & in ſuos carceres detrudebat. Chaldaica Paraphraſis multo eſt diſſimilior, hoc pacto vertens: *Domum Iſraël à cæde redemi, & ab exterminio delente erui eos: mox erit verbum meum contra eos in necem, & verbum meum ad diſperdendum, & eo quod tranſgreſſi ſunt legem meam, tollam maieſtatẽ meam ab eis.* Quę in eumdem recidunt ſenſum, vt facile eſt accõmodare, ſed noſtra Vulgata Editio, & originali textui magis eſt conſentanea, & rem pauciſsimis verbis magis explicat.

Capi. 13. 14.

¶ Poſſunt etiam pro noſtro inſtituto paſsiue accipi; ita vt Chriſtus quodammodo morſus, deuoratus, atq; deglutitus ab inferno dicatur. Quia quemadmodum à morte mortuus, mortem deſtruxit; ita ab inferno morſus, ipſum deuicit, atque expoliauit; & ſicut per ſuam mortem

mortem sponte susceptam, mortis vinculis alligari non potuit, quia statim tertia die à mortuis propria virtute resurrexit: ita vltro in infernum descendens, in eiusq; ventrem exceptus, nullatenus legibus subiacere, neq; compedibus vinciri potuit, neq; (vt D. Petrus ait) detineri; quin potius infinita gloriosus maiestate, cũ voluit ex eo prodiuit: maximo dæmonibus terrore, atque detrimẽto illato. Hanc explicationem amplectitur Rupertus, quem sequuntur Ribera, & alij recentiores) adducitque in eius confirmationem illud Iob. *In oculis eius quasi hamo capiet eum.* Et ibidem. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* Per Leuiathan siquidem, piscem vastissimum, & voracissimum, figuratur infernus, à quo Christus tamquam esca hamum diuinitatis contegens deuoratus, ipsum cepit, disrupit, euiscerauit, viribusq; destituit. Ita explanat hunc locum D. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 9. Sed Leuiathã iste, hamo captus est; quia in Redemptore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, diuinitatis illũ aculeus perforauit: Quasi hamus quippè fauces glutientis tenuit; dum in illo, & esca carnis patuit, quam deuorator appeteret, & diuinitas, passionis tempore latuit, quæ necaret: In hac quippè aquarum abysso, ideſt, in hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam penè omnium vorans, huc illucque aperto ore Cetus iste ferebatur, sed ad mortem Ceti istius, hamus in hac aquarum profunditate caliginosa, mira est dispositione suspẽsus.] Et paulo inferius: Ne ergo iste humanis mortibus Cetus insidians, quos vellet vltra deuoraret; hamus hic raptoris fauces tenuit, & se se mordentem momordit.] *Iob. 40. 19.*

¶ Animaduertendum est etiam Cetum, non euomuisse Ionam in mare, ex quo illum absorbuerat, sed in aridam

aridam & continentem; vbi tutiſsimus, & omni periculo liber exiſteret; ad innuendum, Chriſtum non reſurrexiſſe ad vitam mortalem, & corruptibilem, quæ per mare ſignificatur; ſed ad immortalem, glorioſam, æternam. *Rom. 6.* Quia *Chriſtus reſurgens ex mortuis* (vt Paulus ait) *iam nō moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Per littus ſeu aridam, ſtatum immortalitatis denotari, docet D. Gregor. Pap. hom. 24. in Euāgelia, his verbis: Quæri etiam poteſt, cur diſcipulis in mari laborantibus, poſt reſurrectionē ſuam Dominus in littore ſtetit, qui ante reſurrectionē ſuam coram diſcipulis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio feſtine cognoſcitur, ſi ipſa, quæ tunc inerat, cauſa penſetur. Quid enim mare niſi præſens ſæculū deſignat, quod ſe caſuum tumultibus, & vndis vitæ corruptibilis illidit? Quid per ſoliditatē littoris, niſi ipſa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur diſcipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noſter iam corruptionem carnis exceſſerat, poſt reſurrectionē ſuam in littore ſtabat. ¶ Reſurrexit igitur Chriſtus in eodem momēto, quo ſanctiſsima eius anima ab inferno rediens, recuperato quem effuderat ſanguine; vel toto (vt multi volūt) vel neceſſario ad corporis integritatem (vt nonnulli affirmant) corpori ſuo copulata fuit: ipſumq; idem corpus, quod in ſepulchro iacuerat, toto illo triduo exangue; inanime, tot verberibus attritum, tot liuoribus deformatum, ſtatim reddidit vivum, immortale, incorruptibile, fulgentiſsimum, pulcherrimum, cæteriſque præſtantiſsimis dotibus, exornatum. Et ad maius ipſius decus, & ornamētum, in eodem remanere voluit, pretioſiſsima paſſionis ſuæ veſtigia; ſtigmata, videlicet, clauorum, & lanceæ, quibus fuerant eius transfixæ manus, pedes, & latus.

¶ Nec

¶ Nec desunt permulti, qui dicant (quibus non abnuo) etiam relicta fuisse foramina, absque vllo corporis dedecore, aut integritatis defectu, vt essent illustrissimum victoriæ suæ trophæum, euidentissimum veræ suæ resurrectionis argumentum, admirabile ardentissimi sui amoris indicium, perpetuum intercessionis suæ apud Patrem monumentum. Et sicut D. Paulus loquitur, Hebræ. 9. 24. *Vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quæ quidem vulnera, ineffabili fulgore micantia, apparens discipulis suis, non videnda solum, sed contrectanda etiam exhibuit, dicens: *a Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et Thomę incredulo: *b Infer digitum tuum hùc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Existimo siquidem, discipulos præ ingenti gaudio, nõ modo Christum amplexatos, exosculatosque fuisse; sed etiam suis manibus sanctissimum eius corpus, & vulnera, præcipuè immensa pulchritudine decorata, contrectasse. Sic interpretantur multi, quæ Ioan. dicit in 1. sua canonic.: *c Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Non solum loquitur Apostolus, de cõtrectatione corporis Christi manibus suis facta in hac mortali vita, sed potissimum de ea, qua ipsum, iam à mortuis excitatum, tetigerunt: Quod etiam docuerunt Didymus Alexandr. in comment. huius epistolæ. Augustin. sermone. 18. de verbis Domini, & serm. 155. & 158. Leo Pap. epist. 10. cap. 5.

Cyril. Alexand. de fide, ad Theodos. circa fin. Greg. Nazianzen. orat. 42. Pet. Chrysolog. ser. 18. & 76 Abulē. par. 5. c. 25. & 26 Caiet. Tolet. Medina, & alij.

a *Luc.* 25 39.

b *Ioā.* 20 27.

c *Epist.* 1 *cap.* 1. 1.

¶ Quod

¶ Quod Christus resurrexit, fides Catholica docet, & quod tertia die, quæ fuit proxime sequens post Sabbatum. Eam vocant Euangelistæ, primam Sabbati, & vnam Sabbatorum: Nos Dominicam appellamus, quia eam Christus Dominus, glorioſiſsimâ, ſua reſurrectione reddidit, atque conſecrauit. Et cum in ipſa requieuerit ab omni opere humanę reparationis, quod patrarat. Quod Iudæis eſt Sabbatum, nobis dies eſt Dominica. Quod nomen habuit in Eccleſia ab Apoſtolorum tempore, vt conſtat ex 1. cap. Apoc. *Fui in ſpiritu in Dominica die.* Vnde Auguſt. ſerm. 251. de tempore. Dominicum diē (ait) Apoſtoli, & Apoſtolici viri ideo religioſa ſolemnitate habendū ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter à mortuis reſurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur, vt in eo tantum diuinis cultibus ſeruiamus, dantes diei huic honorem, & reuerentiam propter ſpem reſurrectionis, quam habemus in illa. ¶ Et ſimiliter Leo Pap. epiſt. 81. ad Dioſcorum cap. 1. In hac die (inquit) mundus ſumpſit exordium, in hac per reſurrectionem Chriſti, & mors interitum, & vita accepit initium. ¶ Idem quoq; profitentur omnes patres, etiam ij, qui Apoſtolorum æuo floruerunt, ipſorumq; fuerunt diſcipuli. Vt Clemens lib. 7. conſtit. cap. 31. & 36. Ignat. epiſt. 5. ad Trallianos. Iuſtin. Apolog. 2. in fine. Et reliqui poſteriores. Quamobrem Beda lib. de ratione computi cap. 17. & lib. de ratione tempor. cap. 45. & Ambroſ. in Pſal. 47. in principio aiunt: Nefas eſſe viro catholico dubitare, quin Chriſtus Dominica die reſurrexerit. De qua Regius Vates vaticinans inquit, Pſal. 117. 24. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Quo verſiculo ſępiſsimè repetito, Eccleſia Catholica, feſtiuiſsima noſtri paſchatis gaudia cōcelebrat. Quare reijcienda prorſus eſt illorū opinio,

Apoc. c. 1

Pſal. 117 24.

qui

qui ad probandum fuisse Christum in sepulchro, & inferno tribus diebus, & tribus noctibus integris, commẽti sunt duplex quoddam Sabbatum, nullo fundamẽto, nullaq; auctoritate fultum, immo potius manifeste Sacræ Scripturæ contrarium. Ex qua liquido constat, Christum mortuum fuisse in die Parasceues, & resurrexisse tertia die, quæ fuit Dominica. Nec Euangelista Ioannes appellauit illud Sabbatum, magnum diem, eo quod eo anno esset duplicatum, propter rationem friuolam quam dicti auctores excogitarunt: sed vocatur magnus dies Sabbati, quia in solẽne pascha inciderat.

¶ De tempore & hora diei, qua Christus resurrexit non parua est ambiguitas. Nam de tempore, quamquã iuxta Hieron. epist. 150. ad Hedib. q. 6. & Theophyl. Marci vlt. nihil certi affirmari possit, duæ tamen sunt admodũ controuersæ, sed probabiles sententiæ. Prior est asserentium; resurrexisse statim post mediam noctẽ Sabbati, iam die tertia incipiente. Rationes, quæ adducuntur sunt. Prima ex auctoritate Scripturæ. Nã Ioan. cap. 20. habetur, Mariam Magdalenam venisse, dum adhuc tenebræ erant, ad monumentum. Quo tempore Christus iam resurrexerat. Quod si adhuc erant tenebræ, cum dies essent illi, fere æquinoctiales, colligitur satis apertè, statim à media nocte, resurrectionem contigisse. Et Matth. vlt. dicitur: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene.* Quibus verbis aiunt, assignatum fuisse tempus resurrectionis: Vesperã autem Sabbati, nõ potuit Euangelista appellare auroram diei Dominici: neque etiam illam vesperam Sabbati, quæ incipit ab occasu solis, quia cõstat, tunc Christum non resurrexisse: sed vocauit vesperam, ipsam profundam noctem, quæ iam vergebat ad lucem diei, vt indicãt hęc verba: *Quæ lucescit in prima Sabbati.* *Matth. vlt. 1.*

¶ Secunda ratio, ex consuetudine Ecclesiæ, quæ olim celebrare consueuerat officium vigiliæ resurrectionis, simul atque media nox erat transacta, & Christi fideles solebãt vt modo fit, soluere ieiunia quadragesimalia, ab eadem media nocte.

¶ Tertia: ex auctoritate sanctorum Patrũ, ex Græcis Athanas. lib. de virgin. in fine. Gregor. Nyssenj, orat. 1. & 2. de resurrect. Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 44. Victor Antiochen. in cap. 16. Marci. Euthym. cap. 27. in Matth. Niceph. lib. 1. hist. c. 31. Ex Latinis, Hieron. epist. citata q. 3. & 4. Ambros. lib. 10. in Luc. c. de homilia Dominicæ resurrec. Ruper. lib. 1. de diu. offic. cap. 8. & lib. 5. c. 24. & lib. 7. c. 16. Et præcipuè D. Gregor. Papa in benedictione Cerei paschalis, vbi miris laudibus, repetitis verbis, effert noctem illam fœliciſsimam, quæ tanti mysterij conscia esse potuerit, dicens: O vere beata nox, quæ sola meruit scire tẽpus & horam, in qua Christus ab inferis resurrexit: Hæc nox est, de qua scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea, in delitijs meis, &c.

¶ Quarta ratio pro hac sententia est, ex figurarum accõmodatione, vt quemadmodũ Samson incubiculũ inclusus, & á Philistæis custodiẽtibus, illum circumseptus, dormiuit vsq; ad mediã noctem, & inde consurgẽs, apprehendit ambas portę fores cũ postibus suis & sera, impositasq; humeris suis portauit ad verticem montis, &c. Ita Christus in sepulchrum inclusus, somno mortis oppressus, & militum custodia circũdatus, media nocte surrexit propria sua virtute: non effractis foribus, nec reseratis sigillis, quibus erãt obsignatæ, sed in humeros omnipotẽtiæ, & glorioſi corporis sui, sublatis, prodijt. Tum etiam exitus filiorum Israel ex Aegypto, percutiente prius Dño primogenita, tàm Pharaonis, quàm cætero-

Iudic. c. 16. 3.

cæterorum Aegyptiorũ, seruatis, propter agni sanguinem, filijs Israel, à percussionis plaga & interitu, fuit media nocte. Vt aperte indicat Sacra Hist. Quod typus fuit egressionis Christi, ex inferno & sepulchro, percussis & deuictis, Pharaone & omnib⁹ Aegyptijs, idest, dæmone, & omnibus suis exercitibus, & spoliato inferno, & virtute prætiosi sanguinis sui, hominibus in libertatem, & vitam æternam assertis, gloriosissimus resurrexit. *Exod.* 12

Quod elegãtissime perpendit idem D. Grego. in hunc modum: Hęc sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, cuius sanguine postes fideliũ consecrantur. In qua primũ patres nostros filios Israel, eductos de Aegypto, mare Rubrũ, sicco vestigio transire fecisti. Hęc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras, columnæ illuminatione purgauit.] &c. *D. Greg. vbi supra*

¶ Vltima ratio ex congruentia, decebat enim, vt Christus, quemadmodũ media nocte natus fuerat, media etiam nocte resurgeret, vt ita resurrectio, quæ noua quædam est natiuitas, seu potius regeneratio, priori natiuitati consonaret. Vt quemadmodum generalis resurrectio futura est media nocte, iuxta illud: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Ita etiam resurrectio particularis fieri debuit, media nocte. *Matt.* 25 6.

¶ Secunda sententia, quę verior est, & probabilior, affirmat, Christum, nõ media nocte, sed prope diluculum, & auroram resurrexisse, iam die albescente. Quam sententiam sequuntur ferè omnes Scholastici Theologi in 3. sent. dist. 21. & 22. Vt Bonauent. Ricard. Durand. Paludan. D. Thom. ibidem quæst. 2. art. 2. & 3. par. q. 51. art. 4. ad 3. & q. 53. art. 2. ad 3. D. Antonin. 1. par. hist. tit. 5. cap. 7. vbi dicit, Cristum resurrexisse decima hora noctis, iuxta antiquam computationem, & iuxta nostram, quarta hora post mediam

noctem, cum iam tenebræ ab aurora incipiunt profligari. Gulielm. Duran. in Ration. diui. offic. lib. ..cap. 72. Probatur etiam auctoritate antiquorũ Patrum, Ignatij epist. ad Trallianos, vbi disſertis verbis ait: Illucescente Dominico die resurrexit è mortuis. Eusebij lib. 10. de demonstr. cap. vlt. Cyrilli Ierosolymitani Cathec. 14. & super verba Sophoniæ cap. 3. iuxta ver-

Sophoniæ cap. 3. sionem L X X. *Præparare, consurge diluculo, expecta me dicit Dominus, in die resurrectionis meæ.* Hilarij. canon. 33. in Matth. Ambrosij super Psal. 45. Augustini in numeris locis, præsertim lib. 4. de Trinit. cap. 6. & in Psal. 29. & 56. & 58. & 129. & epist. 49. q. vlt. Leonis Papę serm. 1. de resurrect. Cypriani in expositione orationis Dominicæ, Eusebij Emisseni homil. 8. de Paschate, exponentis figuram Iacob luctantis cum Angelo, vsque ad auroram. Hieronymi Marci vlt. Sedulij lib. 4. carminum ita dicentis.

Caperat interea post tristia Sabbata fœlix
Irradiare dies, culmen qui numinis alti
A Domino dominante trahit primasque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

¶ Denique hanc videtur amplecti sententiam Ecclesia, in hymno quem canit in laudibus de resurrectione.

Aurora lucis rutilat,
Cum Rex ille fortissimus
Mortis confractis viribus
Pede conculcans Tartara
Soluit à pœna miseros.

¶ Probatur etiam hæc sententia, verbis Christi affirmantis, se futurum in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus; Quod ad omnimodam computandi dies & no-

& noctes rationem, referendum est. Ita vt non solum per Synecdochen, dies & noctes naturales intelligantur, sed etiam artificiales. Vt notat D. Tho. 3. p. quæst. 53. ar. 2. ad 3. At vero si resurrexisset noctu, surrexisset quidem tertia die naturali, quę inchoatur á duodecima hora noctis, non tamen surrexisset tertia die artificiali, quæ incipit in luce diei. Conueniebat etiam hoc mysterio, quia Christus resurgendo, æternam vitam reparauit, quæ per diem intelligitur, vt mortalitas per noctem. Vt optime ex D. Augustino doc. D. Thom. loco proxime citato.

¶ Vnde facile est dissoluere rationes prioris sententiæ. Nam ad auctoritates Sacræ Scripturæ dicimus: Vel Mariam Magdalenam, aliquo spatio post mediam noctem transacto, egressam Ierosolyma fuisse, ad monumentum se conferentem, & vt ait Euangelista; cum adhuc tenebræ essent; eo tamen peruenisse, cum iam aurora appetebat, & Christus resurrexerat. Vel melius per tenebras intelligit Euangelista, diei crepusculum, quod est tenebrarum finis, & lucis initium: cumque, vt inquit Philosophus, medium sit ipsa extrema; merito tenebrarum tẽpus dici poterat, quo Magdalena accessit ad monumentum. Ad auctoritatem ex Matthæo, fatemur difficilẽ esse intellectu; & idcirco in ea explicanda, admodum defatigari interpretes. Quare, alijs prætermissis expositionibus, probabilior est, Matthæum per vesperã illam Sabbati, significare voluisse noctem, quæ intercedit inter artificialem diem Sabbati, & Dominici, quã ab vtroq; extremo nuncupauit. Nam à præcedenti die vocauit vesperam Sabbati; à die autem sequenti dicit, quæ luceſsit in prima Sabbati. Et iuxta hanc expositionem, nihil impropriè, aut extortè dicitur, sed omnia Euangelistarum testimonia cohærent.

AD consuetudinem Ecclesiæ respondetur, quod cum ipsa nesciret certum tempus,& horam resurrectionis, & celebratura esset tantæ festiuitatis profestum, seu vigiliam, incępit à media nocte,vt totum diē illum comprehēderet. Ieiunium vero soluitur à Christianis media nocte transacta, quia in ipso obseruando, sola dierum naturalium, qui à media nocte incipiunt, & in media nocte terminantur, ratio habetur.

¶ Ad auctoritates Patrum ex dictis patet responsio. Quia vel per noctem intelligūt vltimam partem noctis artificialis, primam vero, diei naturalis: vel ipsorum opinio etsi probabilis, non admittitur, propter rationes prædictas.

¶ De figuris Veteris Testamenti adductis,dicimus, quod non est opus, vt quantum ad omnes circumstantias conueniant cum veritate per ipsas significata. Sat est, vt initio diximus, quod scopum ab Spiritu Sancto intentum, patefaciant. Quamquam ad typum Samsonis respondere possumus, eius egressum media nocte, posse accomodari natiuitati Christi: qua ex matre virgine, absque vllo virginalis ianuæ detrimento, in lucē editus est. Nec opus erat, vt hæc figura, in omnibus resurrectioni adaptaretur, etsi possit aliqua ex parte conuenire. Ad figuram exitus Israel de Aegypto, quamquā Sacra Scriptura apertissimis verbis narret primogenitorum occisionē, ab Angelo percutiēte effectam fuisse media nocte, Pharaonemque Moysi exeundi facultatē concessisse, non tamen adeo constat, exijsse in ipsa media nocte: cum certum sit, nonnullis horis indiguisse, ad exitum præparandū: præsertim,tam innumeræ multitudinis, tàm virorum, quam mulierū, & parvulorum, absque sarcinis & pecoribus,atque armentis, & quamquā noctu dicuntur exijsse, per noctem accipienda est,

prima

prima pars diei sequentis,& vltima præcedentis,in qua adhùc erãt tenebræ. *Quod patet ex cap.14. Exodi,vbi dicitur: Factum est in vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum.* Vigiliam enim matutinam, vocat illam partem noctis, quæ matutino tempori, seu diluculo appropinquabat. Ad vltimam rationem,à congruentia desumptam,patet solutio ex dictis; Non enim est par ratio vtriusque natiuitatis.Nam cum in priore, Christus carne indutus nasceretur ad mortalitatem nostram, eiusq; miserias, & labores, pro nobis obeundas, in profundo noctis nasci oportuit. At vero in resurrectione, cum renasceretur ad æternæ lucis incorruptionem: luce iam se effundente,resurgere æquũ fuit. Nec liquido cõstat ex Christi parabolis de decem virginibus, & alijs, resurrectionem vniuersalem,media nocte futuram esse: sed illis,intendit nos ad vigilantiã adhortari; ne cum ad iudicium venerit, oscitantes, & imparatos inueniat. *Exod.14*

¶ Hora,qua Christus resurrexit (præcise,& distincte de ea loquendo) penitus ignoratur. Nam neq; de ipsa Euangelistæ, vllum verbũ fecerunt; neque alicui mortalium, innotuisse existimamus,excepta B. Virgine,cui in ipsamet hora,& momento, quo resurrexit, apparuit: & in eo colloquio diuini amoris, & gaudij plenissimo, vltro citroque habito, hoc mysterium, & alia plurima reuelasse, pie credendum est.

¶ Resurrexisse etiam vna cum eo plurimos,in vitam immortalem & glorioſam, opinio est fere omnium recentiorum. *Quam etiam multi ex antiquis docuere.* Vt Origen. lib.1. ad Rom.cap.1: Epiph. hæresi 75. in fine. Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. Athanas. in hom. de semente, dum ait: Christum in inferno, non solum se libe-

se liberum ostendisse, sed etiam mortuorum liberatorem. Quibus verbis, etsi obscuris, videtur hanc sententiam amplecti, quia subdit locum Euangelistæ: *Multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt.* Ambros. enarrat in 1. Psal. in fine. Euseb. lib. 4. de demonstrat. cap. 12. Idem videtur innuere Gregor. Nyssen. lib. de cognitione Dei. cap. de Christi resurrectione. Vbi explicans verba Oseæ 6. 3. *Sanabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.* Inquit: Hæc autem dicta sunt, ex persona eorum, qui dormierant, aut quorum corpora, cum Christo surrexerũt tertio die, quo surrexit ipse. Remig. apud D. Thom. in cathena aurea, post disputationem de hac sententia, tãdem dicit: Incunctanter ergo credere debemus, quia qui resurgente à mortuis Dño, resurrexerunt; ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascẽderunt. Anselm. in d. locum Matth. 27. subiungit: Neque vlla ratione, eorum temeritati fides accommodanda est, qui illos postea, reuersos in cinerem dicunt. Et D. Tho. in idem cap. Matth. 27. & ibi multi scholastici.

Oseæ. 6. 3.

¶ Quæ quidem sententia, nititur in primis auctoritate Sacræ Scripturæ in d. cap. Matth. 27. num. 52. vbi agens de mirabilibus prodigijs, quæ in Christi morte acciderunt, ita habet: *Et monumẽta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionẽ eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Quæ quidem resurrectio cum vera & realis fuerit, vt constat ex textu, non phantastica, vt aliqui interpretantur, proculdubio fuit glorioſa. Nec dici debet, resurrexisse eos sanctos, morituros deinceps, & corpora deposituros: Cuius nulla potest ratio sufficiens adhiberi: Quia cum animæ illæ, iam essent beatæ, & propriũ ac cõnaturale sit glorioſæ

Matt. 27 52.

animæ

animæ glorificare corpus ſuum; quorſum facturus eſſet Deus hoc miraculũ, vt beatæ animæ eſſent in corporibus, morti & pœnalitatibus vitæ huius obnoxijs? Nam quod anima Chriſti glorioſiſsima, toto vitę decurſu cor pori mortali vnita fuerit, ſingulari Dei diſpẽſatione factum eſt, propter humani generis redẽptionẽ, nulla autem in reſurrectione ſanctorum de qua agimus, talis intercedebat neceſsitas, quæ mortalia corpora exigeret, cũ ad exhibendum de Chriſto teſtimoniũ, multo eſſet præſtantius, & efficatius apparere cũ corporibus glorioſis. Confirmatur etiam ex coniecturis admodũ probabilibus. Prior eſt: Quod quemadmodum in inferno, aliqui etiã cũ corporibus cruciantur, vt Dathan & Abiron, diues epulo, &c. Ita quoq; & multo rationabilius, cũ Deus in miſerendo & remunerando, quã in puniẽdo ſit profuſior: credi debet permultis, & corporis, & animæ, beatitudinem contuliſſe. Altera coniectura: Quia congruum erat valde, vt quemadmodum Chriſtus, non diſtulit reſurrectionem ſuam, vſque ad mundi finem, ſed reſurrexit ſtatim propter iuſtificationem noſtram, & vt cauſa, & exemplar eſſet noſtræ reſurrectionis: ita ante generalem reſurrectionem, aliqui in gloriam reſurgerent, vt manifeſta fieret virtus, & efficacitas Chriſti reſurrectionis; in quo & maior fidei confirmatio, & ſpei noſtræ roboratio, conſiſtebat. Et ad obiectionem: Ergo aliqui ante Chriſtum reſurrexerũt glorioſi, quod nefas eſt affirmare, cum ſit ipſe primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium; per cuius paſsionem, & reſurrectionem, cœleſtis gloriæ, & immortalitatis fores erant reſerandæ; nam Matthæus ante videtur indicare, dictam ſanctorum reſurrectionem, Chriſto adhuc in cruce affixo contigiſſe. Reſpondemus Euangeliſtam per anticipationem, ſeu hyſterologiam ea verba

protu-

protuliſſe: Quod quidem familiare eſt ſanctis Euangeliſtis: & ita cum Matthæus ageret de portentis miraculoſis in morte Chriſti, adiunxit etiam mortuorũ reſurrectionem, quæ fuit facta Chriſto reſurgẽte. Quod miraculum ad eadẽ portenta pertinebat. Et etiam ex textu conſtat, quod apparuerũt poſt reſurrectionẽ Chriſti. Et ex conſequenti ſequitur reſurrexiſſe vna cum Chriſto. Et quamquam contrariæ ſententiæ inter alios grauiſsimi ſint patroni D. Auguſt. epiſt. 99. ad Euod. & D. Hiero. Matth. 27. & epiſt. 150. ad Hedib. quæſt. 8. Theoph. & Euthym. in d. cap. Matth. facile eſt ipſorũ rationes diluere, & præſertim neruoſam illam, quæ deſumitur ex Sacrę Scripturæ teſtimonijs, ſignificantibus conſummationem repromiſsionis non concedi, ante mundi conſummationem. Nam hoc non obſtat, quin ex peculiari priuilegio, Deus aliquibus conceſſerit gloriæ perfectionem, tam animæ, quam corporis: cum multæ regulæ generales, patiantur exceptiones. Vt facile conſtat.

¶ Obiter hoc loco quæri poteſt. Quo tempore, & quamobrem, iuſtorũ monumenta fuerint reſerata? Hac de re duæ ſunt ſententiæ; Prior affirmat, hanc ſepulchrorum apertionem eodem tempore, quo cætera portenta à Matth. & alijs Euangeliſtis cõmemorata, contigiſſe: vt hoc etiam ſtupendo prodigio, nefaria Iudęorum in Chriſtum impietas redargueretur. Nam quemamodum ſol in meridie, & lunæ plenitudine, prętер naturæ ordinem, ingentibus tenebris obductus terra inſolitis cõcuſſa tremoribus, rupes horribili fragore diſciſſę. Templi velum à ſummo vſque deorſum duas in partes ruptum, diriſsimam Chriſti mortẽ quodam modo lamẽtari, & perſentire videbantur; ſimiliter recluſa

Chryſoſt. Theophy. Hiero. & Beda.

mor-

mortuorū ſepulchra, ſacroſanctum illud corpus ſequiſsima tormentorum, ac vulnerū tempeſtate iactatum ſuo complexu, vel vti tranquillo portu, certatim excipere concupierunt; quo Scribis Phariſæis cæteriſq; Chriſti hoſtibus, & maior terror, & vehementior tanti ſceleris exprobratio incuteretur. Piè id ſatis, & probabiliter dictum. Sed altera ſententia, verior, quam ego ſequor, tenet: Eiuſmodi monumēta non fuiſſe patefacta ante Chriſti, & ſanctorum reſurrectionem, ſed poſt eā. Sicut enim Chriſtus, redivivus ex monumento ſuo clauſo, & obſignato exiuit, virtute dotis ſubtilitatis, qua inter alias mirabiliter pollet glorioſum corpus; eodem modo ſancti, qui vna cum ipſo reſurrexerunt, ex ſuis occluſis ſepulchris prodierunt; Quæ quidem deinceps, Dei nutu, ſiue Angelorum miniſterio, fuerūt reſerata; vt ſic magis reſurrectionis myſteriū patefieret, & illi, quibus, reſuſcitati ſancti homines apparuerunt, efficatius in fide confirmarentur; inſtar Chriſti Domini, poſt cuius reſurrectionem, Angelus deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem ab hoſtio monumēti, & ſedebat ſuper eum, vt hoc facto, melius Chriſti reſurrectio innoteſceret pijs fœminis, alijſque diſcipulis, qui monumentum adeuntes, introeuntes, perſcrutantes, nihilque aliud in eo quam linteamina reperientes, mirificè roborarentur. Quare hoc loco vbi dicitur à Mattheo: *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, &c.* Particulam, *Et*, cauſam denotare exiſtimo, vt ſit ſenſus: Quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant reſurrexerunt, monumēta aperta ſunt. Vel per hyſterologiam in narratione, poſitum eſt prius, quod re vera fuit poſterius. Origenes, & alij nōnulli veteres patres, quos ſequitur D. Thomas ſuper Matth. cap. 27. huius portenti, & cætororum, quæ in Chriſti Domini

Origenes D. Tho & fere omnes recentiores ſuper hunc locum.

morte

morte acciderunt, causam aliam valde mysticam assignarunt.

¶ Quinam vero ij fuerint, qui tanto gloriæ, & honoris priuilegio coronari meruerunt, nullus est mortaliũ, qui certo aliquid audeat affirmare: nam res est abstrusissima, solisque cœlitibus agnita. Quapropter diuinationi solummodo locus conceditur. Nec ad eam, sufficientia suppetunt argumenta. Non enim ex sanctitatis magnitudine petenda sunt, cũ plurimi forsan præstantissimi viri, qui virtute, & sanctitate mirum immodum præfulserunt, eximio hoc resurgẽdi cum Christo beneficio, non fuerunt potiti. Saltem liquido constat, Ioannem Baptistam hoc munere caruisse, virũ alioqui, tam raræ sanctitatis, vt Christi esse Præcursor, & miris encomijs ab eo cõmendari dignus fuerit: Quo, vt idem Christus testatur, non surrexit maior, inter natos mulierum. Non ergo à sanctitatis excellentia coniecturæ sunt accipiendæ: sed pie credendum est aliquibus, dictum priuilegium, fuisse concessum, qui ob singulares aliquas virtutes, vel deuotionem erga Christum, eiusq; passionis, & resurrectionis mysteria, aptiores atq; digniores, extiterũt. Quales, vt ego conijcio, sunt, Adam & Eua prothoparentes, qui primi peccauerunt, & peccatum, mortẽ, aliasque miserrimas calamitates, in posteritatem suam transfuderunt: Abel iustus, legis naturæ prothomartyr, à fratre ditè interemptus, qui primus omnium mortalium, mortis acerbitatem degustauit: Noe, secundi mundi prothoparens, qui beneficio arcę, á se fabricatæ, seminarium reseruauit, vnde humanum genus iterum propagatum fuit, Christum repræsentauit, qui per baptismum, arcæ comparatum, homines ab eluvione peccati liberãs, spiritualiter regenerauit: Tres Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob, quorum nominibus

bus, pro glorioſo ſtemmate Deus Opt. Max. inſigniri dignatus eſt, dicēs ad Moyſen: *Hæc dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorū, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos.* Et apud Matth. diſputans Chriſtus contra Saducæos, immortalitē animæ, & corporum reſurrectionem negantes, argumentatus fuit in hunc modum: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non eſt Deus mortuorū, ſed viuentium.* Congruum ergo videbatur, vt quorum viuentium, Deus peculiariter eſſe dicebatur, etiam corpora cum Chriſto, æternam vitam, & immortalitatē conſequerentur. Præterea hi tres fuerunt, ad quos primo & principaliter, de Chriſto facta eſt repromiſsio. Tum etiam typi fuerunt trium diuinarū perſonarum: Abraham ſiquidem, pater fidei, qui filium proprium vnigenitum, in monte iuſſu Dei, immolare voluit, Deum Patrē repræſentauit; *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus, tradidit illum.* Iſaac, quis neſcit, quam expreſſa fuerit Chriſti imago? cum patri ſuo obediens, vltro immolandus cū ipſo in montem perrexit, ligna humeris ſuis deferens, quibus fuerat concremandus. Ad quem modum, Chriſtus factus obediens Patri, ſacrificatus eſt. Et ſicut Iſaac liber à morte euaſit, ac pro eo, aries hærens cornibus inter vepres immolatus eſt: Ita in Chriſto, diuinitas, quæ pati nullo modo poterat, immunis fuit à morte. Sacrificata tamen eſt ſacroſancta humanitas, cuius corpus ſpinis coronatum, plagis affectum, vulneribus liuidum, vere languores noſtros tulit, & dolores portauit. Iacob Spiritum Sanctum præ ſe tulit, præſertim, in eo quod poſt preclarā illam ſcalæ, à terra ad cœlū vſq; pertingentis viſionem, myſticum lapidem, in quo caput ſuum reclinauerat, erexit in titulum, oleoque perunxit: ſignificās Spiritus Sancti gratiæ plenitudinem, qua erat

Exod. 3. 15.

Matt. 22 31.

Romā. 8. 32.

Geneſ. 22 13.

Chriſtus

Christus lapis angularis, replendus, inungendusque. luxta illud Psal. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem;* *propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo latitiæ præ consortibus tuis.* Et per Isai. *Spiritus Domini* (ait ipsemet Christus) *super me, &c. Eo quod vnxerit me, &c.* Sequitur iam Ioseph Patriarcha, castitatis virtute insignis, patri Iacob dilectissimus, à fratribus per summum odium & inuidiam venditus barbaris, & externis hominibus, à quibus fuit in Aegyptum traductus, & ibi à domina impudica, falso accusatus, & tãquam servus emptitius, in ergastulum coniectus, ferreisq; vinculis constrictus: vnde mirabiliter eductus, regijsque indumentis amictus, secundum regem, totius regni principatum obtinuit. An non merito eum cũ Christo resurrexisse dicemus? Nam quid sibi voluit ingens illa cura, & solicitudo, de suis in terram promissionis ossibus asportandis, cum prænoscens, diuini Spiritus afflatu, posteros suos omnes, atq; cõtribules, educendos diuina virtute ex Aegypto, fratres suos adiurauit, dicens: *Post mortem meam, Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista, ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto, &c.* Nisi quia eodẽ spiritu prophetico præuidit, multa cum Christo sanctorũ Patrum suorum corpora, resurrectura, seque cum ipsis, eiusdẽ gloriæ consortium, cõsequuturum? Quid dicam de Iob, incõparabilis sanctitatis viro? qui Christi typus fuit præclarissimus, tot tantisq; affectus calamitatibus, cruciatus doloribus, vulneribus confectus, & in stirquillinio sedens, omni humano fauore destitutus, sed spe consequendę resurrectionis mirificè confirmatus, vnde dicebat oculis mentis suæ in Christum, post crucis mortẽ, à mortuis resurgentem, defixis: *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum*

Psal. 44. 8.
Isai. 61. 1.
Lucæ. 4.
Genes. 50 24.
Iob. 19. 25. & sequentib.

rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deũ meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quidni dixerimus, non fuisse hac sua spe frustratũ, vna cum Redemptore nostro resurgendi? Quod autem inquit: *In nouissimo die*, non est necessario accipiendum de die extremi iudicij. Cum dies, sœpe in sacris litteris pro tẽpore tã prospero, quã aduersõ vsurpetur. Et signanter, Christus tempus aduentus sui, diem suum vocat apud Euan. Ioan. *Abraham pater vester, exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Vbi per diem intelligit, aduentum suum in carne, ad genus humanũ reparandum. Et apud Lucã: *Si cognouisses & tu in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis.* Diem vocauit, tẽpus suæ incarnationis, prædicationis, & passionis per quam, pacem mundo allaturus erat, cõcilians quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Quod quia præcipuè ad Synagogam spectabat, proinde dixit, in hac die tua. Quod aduẽtus Christi, dicatur dies nouissimus, ratio est: *Quia* lex Euãgelica, nouissima est omnium, postquã, nulla alia expectatur. Iuxta illud Pauli, qui ait: *Nos esse, in quos fines sæculorum deuenerunt.*

Ioan. 6. 16.

Luc. 19. 42.

1. Corin. 10. nu. 11

¶ Et Psal. 41. 9. *In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.* Vbi per diem, iuxta Augus. quem sequitur Lyranus & alij, intelligitur tempus prosperitatis; & per noctẽ, aduersitatis. *Qua* phrasi vsus fuit Ieremias, cap. 17. 16. *Et diem hominis non desideraui, tu scis.* Ideſt, vitam voluptuosam huius sæculi, vel tempus mundanę prosperitatis, quam tantòpere diligunt homines. Ita Glossa Interlinearis, Lyranus, & alij. Chaldæus tamen, diem hominis, accipit pro calamitate, & supplicio, sic explicans: *Et diem malam quam tu adduces super eos, nõ desideraui.* Priori sensui fauet D. Paulus,

Psal. 45. 9.

Ierem. c. 17. 16.

1. Corin. cap. 4. 3. Paulus dicens: *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Quasi dicat; nihili pendo iudicium de me vestrum, aut cuiuscumq; alterius hominis, mundi huius potentia, aut prosperitate præfulgentis. Humanum diem accepit Paulus, pro temporali prosperitate, seu excellētia. Vt optimè notat Euthymius. Syriaca lectio habet: *Mihi vero pro minimo est, vt à vobis dijudicer, aut à quouis homine.* Sed idem est sensus: pro quouis homine, intelligens dignitate, & maiestate humana excellētem. Quamquam Caietanus, cum Glossa Interlin. per humanum diem, interpretatur, humanam scientiam, & cognitionem, quæ suis viribus supernaturalia mysteria intelligere, vel iudicare nequit. Sed prior expositio aptior videtur. Vt rectè explicat Gagnæius, in quo etiam sensu, Regius Propheta dixit Psal. 55. 4.

Ps. 55. 4. *Ab altitudine diei timebo*, ideſt, ab hostium meorum potentia, & prosperitate. Et iuxta hunc sensum, interpretantur nonnulli, dictum illud Christi, superiùs à nobis citatum: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Vbi per diem Christi, accipitur mysterium glorioſæ suæ resurrectionis, per quam, summam in cœlo, & in terra potestatem, & fœlicitatem adeptus fuit: quam Abraham, in filij sui immolatione facienda, & subita eiusdem liberatione, prophetico spiritu præuidens, ingenti perfusus gaudio, mirum in modum exultauit. Quod significare videtur D. Paulus: *Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, & vnigenitum*

Ad Hebr. 11. 17. *offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus, vnde eum, & in parabolā accepit.* Exaggerat Apostolus, & merito admirabilem Abrahæ fidem, qui cum accepisset, insignem illam repromissionē, de suo per Isaac filium genere valde pro-

pagan-

pagando, Messiaque ex eodem, secundum carnem, nascituro, iussus fuit à Deo eumdem Isaac immolare; nihil hæsitans, neque diuinæ promissioni diffidens; immo potius certissima spe confirmatus; putauit quod idem Dominus, qui immolationem præceperat, potens erat Isaac à mortuis suscitare. Vnde concludit Apostolus; Quod cum Abraham vidisset filium, iam iam à se immolandum, eiusque iugulo, gladium imminentem, statim iussu Dei fuisse liberatum; accepit eum in parabolam, ideſt, in figuram, & similitudinē Agni immaculati Christi, in cruce immolandi; & statim tertia die in nouam, & immortalem vitam resuscitandi. Et hoc est, quod Abraham, diuini spiritus instinctu, præcognouit; summaque exultatione celebrauit.

¶ Quamquam alij vt Hierony. in cap. 8. Daniel, & Gregor. homil. 18. in Euang. intelligunt illum diem, quando mysterium Trinitatis reuelatum Abrahæ fuit: Cui expositioni adhæret Caieta, per hunc diem accipiens generationem æternam filij Dei, iuxtā illud Dauidis Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Alij vt Irenæ. lib. 4. cap. 15. & Augustt. tractat. 43. diem incarnationis intelligunt. Et eodem modo Theophyl. Dies autem pro tempore aduersitatis, seu statu calamitatis vsurpatur, Psal. 136. *Memor esto Dñe filiorū Edom, in die Ierusalē: Qui dicunt: Exinanite eximanite vsque ad fundamentum in ea:* Vbi per diem Ierusalem, intelligitur tempus eius cladis, & vastationis, à Babylonijs hostibus illatæ; quos Idumæi contra ius & fas cognationis, quæ ipsis cum Israelitis intercedebat, tantum abfuit, vt Ierosolymæ opem tulerint, vt potius Babylonios adiuvātes hortarentur, atque vrgerent, vt eam ciuitatem funditus euerterent. Vulgari etiam sermone tritū est; tempus alicuius maximę calamitatis, & miseriæ, vocare; *la jornada,* *Psal. 2.* *Psal. 136* 7.

jornada; vt dicimus, *la jornada de Rodas, la jornada de Tunez*. Pro eo tempore, quo vrbes istæ, hostilibus armis, fuerunt expugnatæ, siue excisæ. Et Psalm. 17. 19. *Præuenerunt me, in die afflictionis meæ: & factus est Dñs protector meus.* Ideſt (vt exponit Euthymius.) Cum me hostes viderent, tribulationibus, & calamitatibus circumuentum, adorti sunt imparatum, & nihil tale cogitantem. Et Psal. 37. 7. *Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem: tota die cõtristatus ingrediebar*: Ostendit Rex Dauid quãta fuerit pœnitudine, & mœrore cõfectus, postquã à Nathano Propheta fuit accerrimè de adulterio, & homicidio reprehensus. Multo enim tempore contristatus, & veluti denigratus, & prædolore incuruatus, vitam exegit acerbissimam. Chald. *Recuruus factus sum, & inclinatus maiorem in modum: tota die atratus incessi.* Et ne immoremur amplius, multa alia suppetunt hac de re exempla in sacris litteris.

Psal. 17. 19.

Psal. 37. 7.

¶ Quin etiam D. Ioannes epist. 1. cap. 2. 18. legis Euangelicæ tempus, vocat, horam nouissimam, dicens: *Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit, &c.* Horam autem sæpè in sacris litteris sumi pro tempore, certũ est. Vt Lucæ 22. 14. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Ideſt, iam tempus adest, in quo á Sathana incitati, potestis me occidere. Et D. Paulus: *Hora est iam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quam cũ credidimus.* Ideſt, tempus legis nouæ, qua æternam salutem consequimur. Et Ioan. 13. 1. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem.* Ideſt, tempus passionis eius, per quam, transiturus erat ad patrem. Et cap. 5. 35. agens de Ioanne Baptista ait: *Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Hoc est, ad modicũ tempus eum propter

1. *Ioan.* c. 2. 18.

Luc. 22. 14.

Rom. 13. 11.

Ioan. 13. 1.

Ioan. 5. 35.

ter ſanctimoniæ, & dignitatis ſplendorem, ſummo honore affeciſtis.

¶ Dauidem etiam reſurrexiſſe cum Chriſto, nonnulli aſſerunt, ſumpta coniectura ex Diui Petri verbis, qui agens de Dauide, inquit: *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum eius apud nos eſt, vſque in hodiernum diem.* Vbi aiunt, Petrum inſinuare voluiſſe, Dauidis reſurrectionem, cum non dixerit, & corpus eius apud nos eſt, ſed ſepulchrum eius: quaſi vacuum iam corpore denotans. At vero hæc ratio admodum eſt infirma. Quin potius ex Diui Petri verbis contrarium colligitur, qui volēs probare auctoritatem pſalmi Dauidis: *Quia non relinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Non eſſe intelligendam de Dauide, ſed de Chriſto, ad litteram, arguit ipſius Dauidis corpus, re vera fuiſſe corruptum, & adhuc in ſepulchro iacere, & poſuit cōtinens pro conconto, iuxta phraſim Sacræ Scripturæ vſitatam. Ex cæteris Prophetis, multos etiam reſurrexiſſe, poſſumus arbitrari, in quibus non infimum locum Ionas obtinet, qui Chriſti figuram, vt diximus, præclariſsimam geſſit. Veniamus iam ad Sanctos Chriſti aduentui propinquiores; Quis audebit Ioachimum & Annam, Deiparæ Virginis patres, proximoſque Chriſti auos, à tanto Dei beneficio ſeiungere? Saltem piaculum mihi videtur, illud B. Ioſepho, ſponſo Mariæ Virginis, denegare ipſe enim pro Chriſti patre habitus, ipſum infantulū nutriuit, aluit, & toto vitæ ſuæ tempore ſuſtentauit, cuſtodiuit, multis pro ipſo laboribus perfunctus. Nōne igitur rationi cōſentaneum erat, vt Chriſtus, eum tali honore decoraret? Tum etiam ſi inter vxorem & maritum, maxima debet eſſe, quoad fieri poſsit, nō morū ſolum, ſed

Actō. 2. 29.

Pſal. 15. 10.

etiam corporũ similitudo: æquum profecto videbatur, vt quemadmodum Beata Virgo, eius vxor, in cœlo futura erat in anima, & corpore; ita etiam Iosephus ipsius maritus, in corpore esse deberet.

¶ Simeon etiã sanctissimus senex, & propheta eximius, qui Christum infantulum recens natum, ex peculiari Dei promissione, oculis corporeis videre, vlnis complecti; altissimaque eius passionis & resurrectionis mysteria, Spiritu Sancto afflatus, palam prædicere meruit; congruum sane erat, vt longissimã mortalis vitæ diuturnitatem, anticipatæ resurrectionis, prærrogatiua compensaret. Quid dicam de Zacharia sacerdote, præcursoris parente? Cuius præclaras virtutes, diuina testantur oracula; qui non solum diuini Verbi incarnati præsentia potitus, illustratusq; fuit, sed pro ipsius etiam testimonio, à Iudæis (vt viri aiunt grauissimi *) inter Templum & altare immaniter occisus. An non dignissimum iudicabimus excellenti hoc, de quo agimus, priuilegio?

* *Petrus Episcopus Alexã. & martyr, in regulis Eccle. Cyril. Alex. li. aduer. Antropõphitas. Origẽ. in Matthæi. tract. 26. Gregor. Nyssenus serm. de Christi natiu. Basil de humã. Christi generatione. Epiph. de vita, & interitu Prophetar. cap. 23.*

¶ Et prætermissis alijs, non possum silentio prætereo sanctum latronẽ (quem peculiari prosequor amoris, & deuotionis affectu) qui cum fuisset in passione Christi socius, idem mortis genus perpessus, clauis cruci affixus, maledictis, opprobrijs, plagis, alijsque tormẽtis affectus; consentaneum fuit, vt vna cum Christo resurgeret; & qui audire meruerat: *Hodie mecum eris in paradiso*; etiam audiret, post triduum mecum resurges. Quo pacto vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Nullam ex fœminis in tantam gloriã fuisse euectam nõnulli autumant. Tum, quia mulieres suapte natura, & ingenio, non sunt aptæ, neque habiles, ad testimoniũ de Christo perhibendum. Tum quia nõ decebat

vllam

vllam ante Virginis Deiparæ resurrectionem, tantam prærogatiuam adipisci. Verum hæ rationes, nullius sunt ponderis, aut momenti. Nam fœminæ multæ in sacris litteris recensentur præstantissimæ, quæ diuino permotæ spiritu, illustria de Christo, eiusque mysterijs, testimonia prodiderunt. Vt Anna mater Samuelis, in egregio suo Cantico incipienti: *Exultauit cor meum in Domino, &c.* Quo, in diuinis laudibus celebrandis vtitur Ecclesia, tàm apertè de Christi mysterijs locuta est, vt Beatissimæ Mariæ Virginis diuinissimum Canticum, quodammodo æmulari videatur. Elisabeth Ioannis præcursoris mater, prima inter omnes mortales fuit, quæ Spiritu Sancto repleta, dissertis, & apertis verbis, diuini Verbi incarnati, & in vtero materno existentis, sacramentum prædicauit, celebrauit, patefecit, dicens ad Beatã Virginem: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, & beata quæ credisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dño.* Anna quoque prophetissa, filia Phanuel, teste eodem Luca, qua hora puerum Iesum, parentes eius in Templum induxerant Domino offerendum, superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Tum etiam fœminæ in veteri Testamento, insignes extiterunt, quæ gestis suis mirificis, Beatæ Mariæ Virginis excellentiam retulerunt, vt Sarra, Iudith, Esther, Iael, & aliæ huiusmodi. Deinde, sanctorum Patrum resurrectionis, non fuit potissima causa, vt apparẽtes multis, sanctæ ciuitatis incolis, de Christo Domino testimonium exhiberent, sed vt eius resurrectionis, & passionis virtutem & efficaciam, testa-

1. *Reg.* 2. 1.

Lucæ. 1. 42.

Lucæ. 2. 38.

rentur. Quamobrem, ſicut venerat vtrumq; ſexum redempturus; ita oportuit vt in vtroque ſexu, redemptionis effectus, æqualiter apparerent. Neq; hoc ſupremam B. Mariæ dignitatem dedecuit, cum ipſa, nō multis poſt Chriſti aduentum tranſactis annis, mortalē vitam ſanctiſsimè finiens, mòxque reſurgens, perfectiſsimè quoad corpus & animam, glorioſa in cœlum ſit aſſumpta, & ſuper omnes Angelorum choros exaltata. Quod autem ſimul cum Chriſto, & cæteris ſanctis Patribus in cœlum non conſcenderit, ſingulari Dei Opt. Max. prouidentia factum eſt: Quia ipſius regimine, ſolatio, atque præſidio Eccleſia recens nata, ſummòpere indigebat. Quemadmodū enim, abſentis ſolis munere fungitur luna, totum ſua luce colluſtrās hemiſphœriū: Ita Beata Virgo, tamquam Luna pulcherrima, Solis iuſtitiæ Chriſti in cæleſtem orizontem abeuntis, vicem geſſit, ac myſticum Eccleſiæ hemiſphœrium, ſupernis influxibus, adimpleuit.

¶ Si quæras; Cur Ioannes Baptiſta non fuit ex reſurgentibus, vt ſuperius diximus. Reſpondemus cum Paulo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quā incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* Rom. 18. Deus pro ſua infinita ſapientia, & iudiciorum profunditate, diſpenſat & communicat ſupernaturalia dona, ad maiorem ſuam gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem. Et ſi fas eſt, aliquam rationem adhibere, eam poſſumus petere, ex eiuſdem Ioannis verbis, de Chriſti ſuprema dignitate dicētis: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Ioan. 3. 30. Quod iuxta Gloſ. quæ eſt etiam Auguſtini: Chriſtus in cruce exaltatus creuit; Ioannes in capite imminutus fuit. Auguſti. tract. 14. in Ioan. Quamobrem ne Chriſto æqualis, nedum maior, vt Iudæi putabant, eſſe videretur, oportuit Ioānem non reſurgere vna cū Chriſto, ſed capite remanere obtruncatu m

catum; vt ita appareret, non esse ipsum caput, neque sponsum Ecclesiæ, sed sponsi amicum, testem, præconem, præcursorem: & quod non erat ille lux, sed missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine: Vnde quemadmodum non fuit illi concessa crucis mors, ita nec resurrectio: in qua Christi dignitas, atq; maiestas, præcipuè aucta fuit. Si enim Herodes, miracula Christi, existimabat esse à Ioanne facta, quem putabat post decollationem, resurrexisse à mortuis; Quid Iudæi de eodem Ioanne, si vna cum Christo resurrexisset, suspicarentur? Huc accedit, quod quemadmodum Ioanni miracula edere, concessum non fuit, vt hac in re minor Christo appareret; ita etiam, nec resurgere. Cum resurrectio, omnium Christi signorum, fuerit maximum.

Matt. 14
Luc. 9.

¶. De sacratissimo Ioannis capite, alijsque eius corporis reliquijs, quid post ipsius absciſsionẽ factum sit, & vbi modo aſseruetur, summaque in veneratione habeatur, vide inter alios Baron. in annot. ad Martyrolog. die 29. Augusti, & alijs in locis, tum etiam in Annalib. anno Christi 33. vbi ex Nicephoro refert Herodiadem vetuisse, caput vna cum corpore Ioannis condi aut sepeliri, sed verita, ne iterum resurgeret, ipsamque acrius redargueret, apud se remotis arbitris, in abstrusiore regiæ loco, sepeliendum duxit; corpus vero truncum foras abiecit: illudque discipuli Ioãnis, furtim sublatum, cum solemni veneratione, in celebri quodam sepeliere loco. Quod quidem, etsi impia, & impudicissima illa fœmina ex timore fecerat, diuina permissione gestum fuisse arbitror, propter rationem paulo superius aſsignatam.

CAPVT TERTIVM.

¶ *ET factum est verbum Domini ad Ionam secundo, dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te: & surrexit Ionas, & abiit in Niniuen, &c.*

HOC loco, iam describitur executio & effectus vocationis Gentium, & prædicationis Euangelicæ, eis factæ. Ionas si quidem, antequam á Ceto deuoraretur, noluit Niniuen proficisci, neque eius incolis prædicare: postea verò quàm à pisce fuit eiectus; statim, Deo iterum præcipiente, Niniuen se contulit, prædicationique operam dedit. Vnde intelligimus, Christum ante suam passionem, & resurrectionem, noluisse Gentilibus, Euangelij ostium patefieri, propter causas superius à nobis assignatas: postquam autem surrexit á mortuis, statim dignatus est, Gentiles ad se adducere, tamquam oues suo sanguine redemptas, vt sub vero pastore, salutiferis Ecclesiæ paschuis, potirentur, quæ ab ingratis Iudæis paruì, aut nihili fiebant: immò potius contemnebantur. Hæc diuinæ bonitatis dispensatio, atque consilium de Gentilibus ad se vocandis, & in Iudæorum locum sufficiendis, loquuti sunt aperte Divus Paulus, & Barnabas, cum Iudæis expostulantes: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Hoc idem sæpe sæpius Christus Dominus, ipsis Pharisæis prædixerat, & comminatus fuerat, præsertim in parabola illa de vinea optimè

Actor. 13. 46.

optimè plantata, rebuſque omnibus inſtructa, locata ingratis agricolis, qui Domini vineæ, ſeruos, redditus ab eis expoſcentis, bis miſſos, occiderunt: immo & ipſum vineæ heredem, à Patre honoris cauſa deſtinatum, extrà vineam educentes, immaniter interfecerunt. Cõcluſit Chriſtus: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius.* Huius rei, typica præceſsit imago in vellere Gedeonis, quod poſitum in medio areæ, cæleſti rore madefactum fuit, tota circumcirca area ſicca, & abſque vllo aliquo humore permanente, deinceps ſub noctem alteram, è conuerſo contigit, area namq; cœleſti pluvia irrigata fuit, vellus vero, quod in medio poſitum erat, omni humore caruit. Quo ſignificatum fuit: Hebræum populum, qui per vellus denotabatur, ſupernis per Chriſti prædicationem imbribus, vberrime irrigandum: Gentilem vero populum, ſiccæ areæ ſimilem, quoad Chriſtus vixit, ſterilem & infrugiferum; diuinique roris expertem, permanſurum. Facit præterea ad hoc propoſitum, celebris illa benedictio, quam impartitus fuit S. Patriarcha Iacob, duobus nepotibus ſuis, Ephraim & Manaſſe, de qua iam ſuperius egimus; quos cum Ioſeph ita diſpoſuiſſet, vt Manaſſes natu maior ad dexterã Iacob, & Ephraim minor ad læuam conſiſteret, commutans Iacob manus, & in modum crucis cancellans, dexteram poſuit ſuper Ephraim, & lęuam ſuper Manaſſem, præuidens prophetico ſpiritu fore, vt Iſraeliticus populus per Manaſſen figuratus, ad quem iure pertinebat hæreditas, ob ſua peccata exheres factus, repromiſsionis beneficio priuaretur. Sed Ephraim, ideſt, Gẽtilis populus, Euangelicis diuitijs frueretur. Manaſſes ſignificat idẽ quod oblitus, obliuio. Quo innuitur, Iſraelem ob ſuam perfidiam fuiſſe obliuioni traditum.

Matt. 21 33.

Geneſ. 48

Eprahim

Ephraim vero, ideſt, frugiferum, creſcentemque, maximum accepiſſe, diuinæ benedictionis incrementum. Quod per dexterã ſignificetur æternæ beatitudinis fœlicitas, per læuam vero, ſempiterna malorum punitio; præter loca alia Sacræ Scripturæ manifeſtũ fit ex Matthæo, vbi Chriſtus iudicaturus viuos & mortuos, ad dexteram ſanctos, & iuſtos, ad læuam impios & malos, collocauit. Quod autem Patriarcha Iacob, mirificam illam daturus benedictionem, brachia inſtar crucis cõmutauerit, innuebat, quod Gentiliũ vocatio, poſt crucis myſterium, à Chriſto erat efficienda. Id etiam mihi videtur ſibi voluiſſe Regius Propheta Pſal. 2. vbi poſtquam diſſertis verbis, egit de Chriſti paſſione, dicens: *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania, &c.* Statim deſcribit glorioſam eius reſurrectionem, in perſona Chriſti, ita loquens: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Quem locum, non ſolum de eius æterna, & temporali generatione; ſed etiam de reſurrectione à mortuis eſſe intelligendum, teſtatur D. Paulus Act. 13. 33. vt fuſius à nobis ſuo loco explicabitur. Nam Chriſti reſurrectio, vt ſæpè iam diximus, fuit quædã regeneratio. Deinde Regius Propheta protinus ſubijcit, Gentilium cõuerſionem ad fidem, & aditum Euangelicæ hæreditatis, dum ait: *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

Matt. 25 33.

Pſalm. 2.

Acto. 13. 33.

¶ Quæ ſequuntur in toto hoc tertio Ionę capite de ipſius prædicatione, & Niniuitarum vera conuerſione, & pœnitentia, ſpectant ad fœliciſſimos fructus, quos Apoſtoli in vniuerſum mundũ à Chriſto miſsi, ex Gentilibus retulerunt. Tanta enim fuit Apoſtolicæ tubæ efficacitas, vt per totum terrarum orbem inſonuerit, & Gentilium animos, ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam

piendam permouerit: *Nam in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vt Paul. Dauidis testimonio confirmat, & Marci. vlt. Christus Dominus: *Ite in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et tandem subdit Sacer contextus: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Id quidem exequuti sunt Apostoli, post acceptum Spiritum Sanctum, diuisis inter se, totius mundi prouincijs, in quibus sedulò, Apostolica munera obeuntes, barbaras, & à cultu Dei seiunctas nationes, ad Christi legem traduxerunt. Vt videre est in Ecclesiasticis.

Psal. 18. 5. *Rom.* 10. 18. *Mar. vl.*

CAPVT QVARTVM.

CIRCA Caput quartum, nihil aliud occurrit allegoricè obseruandum, quam Ionæ caput obumbrantem hederam, figurã fuisse legis veteris, vt D. Hierony. inquit; Quemãdmodum enim hedera, nullum profert fructum, sed sola habet folia virentia, & adumbrantia; ita etiam lex vetus, nullum gratię fructum ex se producebat: solummodo vmbram Euangelicæ legis mysteriorum, continebat. Vermiculus qui eam hederã arefecit Christus est, qui apud Prophetam Regium de se dicit: *Ego autem sum vermis, & non homo.* Hic vermis radicem hederæ corrosit cum ipsam adimpleuit. Indeque factum est, vt postquam in Cruce Christus dixerat: *Consummatum est.* Statim lex scripta aruerit, & nullius ponderis, vel momẽti sit effecta: immo post sufficientem legis promulgationem, nõ solum

Psal. 21.

ſolum mortua;ſed etiam quantum ad litteram mortifera reddita. Qua de re videnda ſunt,quæ D. Hieron. (vt ſolet) elegantiſsime hunc locum allegorizat,& vt huic noſtræ allegoricæ explanationi finem, & veluti colophonem imponamus, placuit ſubijcere quæ D. Petrus Chryſolog. ſcribit in hanc Ionæ prophetiam ſermone 37. quibus nihil breuius,nihil doctius,nihil elegantius dici poſſe videtur.

SERMO SANCTI PETRI CHRYSOLOGI DE IONÆ PROPHETÆ SIGNO.

(*Serm.* 37.)

FRATRES, Sanctorum geſta caſibus nō ſunt deputāda, ſed ſignis:& quæ vitia putantur,illorum myſterijs ſunt applicanda, non lapidibus: ſicut hodie Dominica ſignauit,& patefecit inſtructio,dicens: Turbis autem concurrentibus cæpit dicere Ieſus: Generatio hæc nequam eſt,ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ: ſicut enim Ionas ſignum fuit Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi iſti. Ecce Prophetæ fuga ipſius Domini vertitur in figuram: & quod celebratur ferale naufragium, hoc ſacramentū Dominicę reſurrectionis exiſtit. Nam quēadmodum Ionas typum per omnia tenuerit, & impleuerit Saluatoris hiſtoriæ,quæ de ipſo ſcripta eſt,textus oſten-

Luc. 11.

ostendit. Fugit, inquit, Ionas à facie Dei. Nonne Dominus vt hominis faciem præferret, & formam, & faciem, formamque propriæ deitatis aufugit? Apostolo sic dicente; Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, formam suscepit serui Dominus, vt lateret mundum: vt diabolum præueniret, in hominem se fugit ipsum, & bene typus Christi ipsius Ionæ seruatur in verbis, non dixit, fugio Deum, sed à facie Dei ego fugio: Deus, qui vbique est, quo seipsum fugiat non est: sed Christus non vt loco, sed sicut specie faciē deitatis aufugeret, totum nostræ seruitutis confugit ad vultum. Descendit, inquit, Ionas in Ioppen, vt fugeret in Tharsis. Audi descensorem. Nemo, inquit, ascendit in cœlū, nisi qui de cœlo descendit. Descendit Dominus de cœlo ad terram, descēdit deitas ad humana, descēdit ad nostram superna dominatio seruitutem: & tamen qui descenderat ad nauem, nauem nauigaturus ascendit: sic Christus, qui in hunc mundum descendit, virtutibus & mirabilibus Ecclesiæ suæ conscendit in nauem. Quid sibi vult aut confusa ventis procella, nisi diabolum, qui cor Iudæ penetrans, reges, gentes, populos, militiam, iudices marinos eleuauit, & inflauit in fluctus, vt ascendentes, & cadentes vndæ, auctorem suum sæculi peterent, ad quietem? Audi vndas sæculi, audi Prophetam dicentem: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominū, & aduersus Christum eius. Et quia fors Ionam proditura non defuit, implet super Christum Dauidicam prophetiam, quæ dicit: Et super vestem meam miserunt sortem. Quod autem Ionas

Ionæ. 1.

Philip. 2.

Ioan. 3.

Psalm. 2.

Psal. 11.

auctor

auctor ſuæ demerſionis exiſtit, cum dicit: Tollite me, & mittite in mare, voluntariam Domini indicat paſſionem: nam quare ſibi illi ſuſtinent hæc iuberi, qui ſibi in periculo tali ſponte poterant ſubuenire? Quando enim multorum ſalus, petit vnius mortem, mors in intereuntis arbitrio collocatur; quia & moriturum retardare poteſt ad mortem, voluntas, & periclitãtis mora periculum præuenire: ſic hic vbi totum Domini geritur in figuram, expectatur morientis auctoritas, vt mori non ſit neceſsitas: ſed poteſtas: Audi Dominum
Ioan. 10. 15. dicentem: Poteſtatem habeo ponendi animam meam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: nemo tollit eam à me. Quomodo? Quia Chriſtus etſi emiſit ſpiritum, non amiſit: quia qui omnium in ſua manu recipit, & tenet animas, ipſe animam ſuam quemadmodum poſsit perdere non videtur. Audi Prophetam dicẽtem:
Pſal. 118 Anima mea in manibus tuis ſemper. Et alibi: In manus
Pſal. 30. tuas commendo ſpiritum meum. Sed quid plura? Currit, occurrit, adeſt bellua de profundo totum Dominicæ reſurrectionis impletura & proditura, immo conceptura, & paritura myſterium: Adeſt bellua, adeſt imago horrida, & crudelis inferni, quæ dum fertur auidis faucibus in Prophetam, vigorem ſui ſenſit, & deguſtauit auctoris: incurrit namque ieiunium deuorando, ſed domicilium cordis ſui tremens ad ſuperni hoſpitis aptat, & præparat manſionem: vt ipſa quæ fuerat tota cauſa diſcriminis, ipſa fieret neceſſariæ nauigationis inaudita vectura vectorem ſuum ſeruans, & poſt triduum referẽs ad ſuperna: & hoc daret Gentibus, quod abſtulerat à Iudæis, quibus ſignum quærentibus ſolum dandum Dominus eſſe ſignum hoc decernit: per quod ſcirent gloriam, quam in Chriſto Domino ſpe-

rauc-

rauerant, totam esse Gentibus conferendam. Generatio, inquit, hæc nequam est, signum quærit, & signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas signum fuit Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi isti. Quia Iudaica perfidia fluctuante, inferni Christus demersus est in profundum: & triduano cursu tota Tartari occulta percurrēs, & Iudaicæ crudelitatis, & maiestatis suæ, ac peremptæ mortis dedit indicium cum resurgeret.

¶ Merito ergo surgent Niniuitæ in iudicio: & condemnabunt illam generationem, quia illius vnius Prophetæ naufragi, aduenæ, ignoti, præconio corriguntur, isti post virtutes tantas, mirabilia tanta, cum toto resurrectionis coruſco, ad fidem non veniunt, ad pœnitentiam non mouentur: ipsum namque resurrectionis signum non credunt, sed gestiunt infamare: dum pretio militum claudunt oculos, corda corrumpunt, quod scierant, quod viderant vt tacerent: redimentes mendacium, vt tollerent veritatem, facinus suum, in Christi retorsere discipulos: Cum dicunt, dicite, quia discipuli illius, nocte venerunt, & furati sunt. Erras Iudæę, hoc discipuli non tulerant; sed magister: & ipse se furatus est, qui videbatur occisus. Sed miror, quod Iudæus Christum Dominum requirit, quem inter duos latrones feraliter collocarat: committit male, custodit impie, iniquius quærit. Iudæę, Christus perire non potest, sed tu eum tibi tuo scelere perdidisti. Veniet, veniet in iudicium regina Austri, & eo ipso, qui furatus putabatur, iudice, te condemnabit: quia illa venit ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis, & tu aduenientem sapientiam Dei,

Dei, infœliciſsimus occidiſti: Niniuitæ crediturarum Gentium, Regina Auſtri Eccleſiæ tunc prouiſa eſt in figuram. Beati ſumus fratres, quia quod præceſsit in typo, quod promiſsum eſt in figura, nos ſpecie, veritate veneramur, cernimus, & habemus.

¶ IN

IN EAMDEM IONÆ PROPHETIAM PARAPHRASIS, CARMine Heroico, ab eodem Ioanne Treminio Sacræ Theologię Doctore, Canonico & Scholaſtico Oriolano.

AD EVMDEM REVERENDISſimum Dominum D. Fratrem Andræam Balaguerium Epiſcopum Oriolanum.

VATIS geſta cano (Sũmi qui iußa recuſans,
Numinis implere, ingentis glutitus ab aluo
Eſt Ceti, & viuus trinæ poſt tempora lucis,
Euomitus; redijt ſeruatæ ad munera vitæ.)
Paruum opus aggredior: ſed quo pietatis imago
Pulchra Dei, fideique nitent myſteria ſacræ.
Tu vero ò ſecli lux fulgentiſsima noſtri,
ANDRAEA Antiſtes, grato pia carmina vultu
Accipe, & exiguam ne dedignere Camœnam.
ILLE opifex mundi, nutu qui cuncta gubernat, CAP. I.
Qui genus humanum miro amplexatur amore,

Nullius que necem quærit, sed præbet iniquis,
(Supplicia vt fugiant æterna) locumque modumque
Crimina dum vero abstergunt turpissima fletu,
Nubila quo vultu, tempestatesque serenat
Aspexit Niniuen (qua nulla potentior Orbe
Vrbs erat in toto: atque Nini de nomine dicta
Qui prior Assyrij statuit fundamina regni.)
Hæc erat immensis vrbs munitissima muris,
Quam pulchre ornabant turritis mœnibus arces,
Ac permulta auro contecta palatia fuluo.
Hic gaza, hic luxus; vitiorum hic maxima pestis;
Hic erat excelsi contemptus Numinis atque
Idolis studio plebs turpi addicta nefandis,
Nullus erat virtutis amor, vestigia recti
Nulla, sed obcænis gens corruptissima gestis.
Illius omnipotens sortem miseratus iniquam,
Sic pius ad superos diuino pectore fatur.
Annè ego tam pulchram delebo protinus vrbem?
Tot merito populos, inferna ad Tartara mittam?
Nam mea si virtus facile illos finxit, at illos,
Non facile instaurem: mortales induere artus
Cum statuam; atque crucis sæuæ me addicere morti.
Vt noxas hominum diuino sanguine possim
Eluere, ac fiam gratissima victima Patri.
Agnus vti innocuus sacras mactatus ad aras,
Ergo stat nostro firma hæc sententia corde,
Vt miseros moneam Niniuitas: forsitan ipsos

Si pigeat

Si pigeat peccasse: malisque imponere finem
Iam studeant: meritas poterunt euadere pœnas.
Quas mea decreuit flammis vltricibus ira.
Hæc ait; & solymæ conuertit lumina ad oras,
Ac sacra Amithæum, qui tum degebat in vrbe
Afflatum subito diuino numine Ionam
Compellat: verbisque illum sic fatur amicis.
Scis, Iona, clari celebratam nominis vrbem,
Quam Ninus ad magni construxit littora Tygris,
Surge ergo; ac celeri cursu te confer ad ipsam
Fatidici clamans fungeris munere Vatis
Exitia heu, tantis prædices debita culpis,
Namque quaterdenis exactis lucibus, ipsa
Est prorsus Niniue, me vindice subuertenda,
Ecce omnem abiecit perfricta fronte pudorem,
Et mala criminibus cumulauit talia multis,
Vt iam peccando non sit modus: omnis honesti
Abscesit facies: contemptaque relligionis
Est omnis ratio: violataque Numina Diuûm
His dictis magnus Ionæ stupor occupat artus,
Ac secum dubius verba hæc perpendere cæpit.
Cur Deus ingrati populi nunc commoda curat?
Aut quæ nobiscum infandæ commercia genti?
Nonne Dei agnosco quæ sit clementia nostri?
Qui Niniuitarum mollius flectibus, vltrò
Ignoscet: cohibens supremo corde furorem,
Atque ego ceu vates mendax explodar ab ipsis.

Hæc ait: atque fugæ ſeſe committere turpi
Cogitat: Et renuens iuſſis parere tonantis,
Egreſſus ſolyma Ioppæam tendit ad Vrbem,
Aequoris hæc poſita eſt ſinuoſo in littore, montes
Inter præruptos, ſtatio tutiſſima nautis.
Magna erat in portu nauis; quam firma tenebat
Anchora; & in Tharſum merces curſumque parabat,
Nauarcho Vates naulum perſoluit abundè
Et Dominum fugiens patriam ſacroſque Penates
Linquere decreuit, peregrinaque littora adire.
Iam portu ſoluens, ventis dare Carbaſa puppis
Cæperat, & fauſtum fœlici ſydere curſum.
Tum Varijs Nautæ implorant ſua Numina votis,
Atque deos ſolito patrios clamore ſalutant,
Conſidunt tranſtris: impellunt æquora remis
Atque rates fauſto properabat concita vento.

Sed Deus iratus Væſani ob crimina Ionæ,
(Vt cæce tandem pulſa caligine mentis
Diuinam aſpiciat lucem; ac mandata faceſſat.)
Fræna relaxauit ventis, qui turbine magno
Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Conuellunt flatu aduerſo, Coruſque Notuſque
Et Iybs, & ſæuis pugnans Aquilonibus Auſter,
Infremuit ſubito feruеſcens murmure Pontus,
Et Vaſti ad cælum montes tolluntur aquarum
Eripuunt lætum denſiſſima nubila ſolem

Nautarum

Nautarum ex oculis: mundum nox occupat atra,
Fulgurat; & tonitru ingeminãs micat arduus Aether,
Crebraque ſemianimes deterrent fulmina Nautas.
Quid faciant dubij, diſcurrunt; omnia tentant,
Hinc inde ingenti nauim vi concutit æquor,
Et nunc ſtridentem mergit nunc tollit ad aſtra
Naufragium prorſus Pontuſque Poluſque minantur
Amiſſus clauus; remi franguntur: & alta
Ex puppi pars magna cadit, conuulſa fragoremque
Edidit horrendum: tum pallida mortis imago
Inuaſit cunctos, nec ſpes eſt vlla ſalutis.
Flebilibus cælum pulſant clamoribus omnes,
Proijciunt merces, & multo pondere nauim
Exonerant, ſi forte furens deferueat æſtus,
Suppliciter veniam poſcunt, diuoſque præcantur
Quiſque ſuos; ſacris cumulant altaria donis,
Sed magis offenſo tempeſtas Numine ſæuit.
Vnus erat tota Ionas de gente procellas
Nil curans, quamquam mens eſt ſibi conſcia culpæ
In fundoque ratis recubans (mirabile dictu)
Stertebat torpore graui, ſomnoque ſepultus.
Ad quem Nauclerus deſcendens protinus, inquit,
Ah miſer; ah demens; quæ te vecordia cæpit?
An non tu metuis diſcrimina talia ſolus?
Annè tua eripient è tantis fata periclis?
Si deus es, ſacra aut genitus de ſtirpe deorum,
Imperita ventis; tempeſtatemque coerce.

Sin vero, vt ſocij, mortali veſceris aura,
Num ſomni tempus capiendi? naufraga puppis
Cum ferme obruitur, dirisque illiditur vndis?
Surgè ergo implora tua ſacris Numina votis,
Eſt nunc ſupremis aris, animaque litandum
Forſitan ipſe Deus quem tu colis, hiſce periclis
Eripiet miſeros, ſedatoque æquore tandem,
Nos dabit optato, curſu portuque potiri.
His vates dictis, imo vt reuocatus ab Orco
Obſtupuit valdè; atque animo quam plurima verſans
Conſtitit: obtutu ſemper defixus in vno.
Sed mox ex timido miſit ſuſpiria corde
Attollens oculos, dupliceſque ad ſydera palmas:
Atque Deum lachrymis, ſic demum fatur obortis.
Omnipotens genitor, ſummi fabricator Olympi
Erga homines, cuius tanta eſt pietatis abyſſus,
Ne quæſo, inſontem inuoluant mea crimina turbam
Vnius ob noxam ne quæras perdere multos
Ecce ego, qui ſcelus admiſi, me pendere pœnas
Pro meritis æquum eſt: tamen, heu meruere quid iſti?
In me, ſancte Deus, conuertito fulmina ſolum
Obruar inſanis ego ponti fluctibus vnus.
Talibus auditis, ſocij nauiſque magiſter,
Quid ſit opus facto conſultant, denique cunctos
Explorare libet, ſolitis quis ſortibus eſſet,
Cuius tam tetros mereantur crimine nimbos,
Naufragiumque pati, triſtique occumbere letho.

Quiſque

Quiſque ſuo accipiunt ſignatas ordine ſortes,
Atque ſuper miſerum Ionam ſors incidit atra
Tunc omnes ab eo certatim quærere cauſam
Ob quam tempeſtas fuerit tam ſæua coorta
Quæ tibi relligio? Quæ patria? Quod genus? aiunt
Quod munus? quaſnam tendis peregrinus in oras?
Quod commiſiſti facinus? Cur ſortis iniquæ
Es reus? an propter te nos immergimur vndis?
Ad quos ſic vates trepidanti eſt ore loquutus.
Sum genere Hebræus, præclaro ſanguine cretus
Iſacidum, diuina Patrum veſtigia ſeruans.
Non colo multorum cæcus ſimulachra deorum,
Quæ manibus conficta, & opis ſunt indiga noſtræ:
Illum ſed colo, qui cœlum terramque creauit
Ex nihilo; cuius ſunt omnia ſubdita verbo.
Cuius & imperio triſtis mors vitaque parent.
Hic ſolus potuit tantas excire procellas,
Hic ſolus poterit ſedatos reddere fluctus.
Huius ego ingratus nutum & mandata recuſans
Conſcendi nauim, atque alium fugitiuus in orbem
Ire paro; aut quo me tempeſtas deferet vſque.
Me propter nauis, ventis iactatur & vndis,
Atque meo cuncti luitis pro crimine pænas.
Obſtupuere viri, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor, Ionamque iterum ſic fantur, amice
Tanta ne noſtrarum cepit te incuria rerum?
Talia vt vnius patiamur crimine damna?

Ergo quid fiet miſero tibi? quidnè ſupremum
Efficies certæ vt fugias diſcrimina mortis?
Namque vides magis vt tumidum deſæuiat æquor,
Atque feros venti tollant ad ſydera fluctus.
Ad quos ſic Vates poſita formidine dixit.
Vos, fateor, torquent mea crimina, diraque vobis
Imminet immeritis me propter mortis imago,
Id circo ſolum vasto me immergite ponto,
Atque Deo infidi vatis vos morte litate
Quo mare, quo ventos, quo cœlum mitia reddet.
His dictis; caſum Ionæ miſerantur acerbum,
Exhorrentque illum conſulto tradere morti.
Et nauim ad terram remis appellere tentant
Nec valuere, maris vi magna æſtuque repulſi.
Itque reditque ratis, potis eſt haud littore ſiſti.
Ingemuere omnes: it magnus ad æthera clamor
Nauticus; & tandem fuit hæc ſententia cordi
Præſtat noſtra ſalus, aiunt; & tradere letho
Vnum pro cunctis fas eſt: ſic fata repoſcunt
Sic viſum ſuperis. Deus, ô qui cuncta gubernas
Qui nutu Omnipotens totum complecteris orbem,
Iſtius, oramus, nobis ne adſcribito cædem.
Cogimur en fatis; & nos luſtralibus vndis
Abluimus; puras menteſque manuſque leuamus.
Talia dicta dabant animis genibuſque voluti;
Tum Ionam extollunt; & prora nauis ab alta
In mare deturbant, madefacti pectora fletu

Quo

Quo facto, Ponti requieuit protinus ira,
Diffugiunt nubes; lucent cœlumque dieſque,
Affulgent ſumma lætiſsima lumina puppi,
Abſtruſo rapidi clauduntur carcere uenti,
Sibilus & perflat tenuis placidiſsimus auræ.
Inſtaurant animos nautæ, nauiſque coronant
Depictis alacres ſuprema cacumina ſignis,
Atque ſtruunt menſas epulis & corpora curant:
Tum Domino mactant plures de more bidentes,
Numina ſacra uocant, & cœlum thure uaporant,
Nec ſolitos ceſſant aris imponere honores.
Sed Deus è ſummo proſpectans culmine cœli, Cap. 11.
Qui iuſtas ſemper miſerando temperat iras,
Seruandi cupidus Ionæ; diſcrimine in ipſo
Feeit ut immanis prægrandi corpore piſcis
Ventre ſuo exciperet uatem (mirabile uiſu)
Abſorbens uiuum, illæſum ſeu carcere ſeruans,
Taurus uti in magnum, qui prodijt Amphitheatrum
Poſtquam multorum eſt telis agitatus & haſtis
Mittitur in ſeptum iuſſu compulſus herili,
Horrificis late complens mugitibus auras;
Traditur in uaſti ſic Ionas uiſcera Ceti,
Viuus ubi trinæ permanſit tempore lucis,
Agnoſcenſque Dei, quæ ſit clementia ſancti,
Protulit hanc humilem feruenti pectore uocem.
O Deus, ò fidæ tibi ſpes certiſsima mentis?
Cuius non metis bonitas concluditur ullis.

Quas

Quas tibi pro tanto perſoluam munere grates ?
Namque ego cum diro premerer diſcrimine mortis,
Ad te clamaui, mediiſque è faucibus Orci,
Voce tuas humili pulſaui territus aures,
At tu, Sancte Pater, nullum qui deſpicis, vltrò
Priſtina me reuocas miſerans ad limina vitæ.
En me demerſum pelago, medioque profundi
Aequoris, innumera acceſſerunt flumina circum,
Et texit moles cunctarum maxima aquarum,
Cumque meo luerem dignas pro crimine pœnas,
Credideram à te me abiectum, penituſque relictum.
Sed cum tanta tuæ experiar munimina dextræ,
Atque tui capiam indignus tot pignora amoris,
Affulſit mihi ſpes, ex hoc me carcere tetro
Iri productum dias in luminis oras.
Vt poſsim lætos ad ſydera tollere vultus,
Atque videre iterum ſacrati limina templi,
Sancta vbi pollicitis ornabo altaria donis,
Aſsiduoque tuas celebrabo carmine laudes.
Plurima ſolemni dum cæditur hoſtia ritu.
Nam memorabor vti immenſum demerſus in æquor
Proximus extiterim barathro ; cum magnus hiatu
Obrueret vortex tenebroſo ; ac pondera ponti
Me ſuper incubuere ; caput circumdedit alga
Multa meum : ſcopulis circumvallantibus inde
Hincque, velut firmis concluſum vectibus arcte
Tu vero oranti ſolamen opemque tuliſti,

Spem

Spem certam præbens; quod erit mihi vita ſuperſtes
Rurſus vt ingrediar ſancti penetralia templi
Nam qui vana colunt idola, & numina divum,
Nulla tuæ miſeri pietatis dona reportant.
Dum verum Numen, lucem, vitamque relinquunt,
At ego perſoluam deuoto pectore vota
Thura adolens ſacram ſupplex redolentia ad Aram
Inque dies hircos mactans vituloſque tenellos,
Grata tibi ſemper præbebo munera laudis,
Solemnique tua extollam miracula cantu
Nam potes optatam ſolus conferre ſalutem.
Tertia fulgebat toto lux aurea mundo, Cap. III.
Et clara Phœbus, luſtrabat lampade terras
Præcipiente Deo, cum Ionam ad littoris oram,
Euomuit Cetus: commiſsum reddidit vltro
Depoſitum innocui fuerat quod ſarcina ventris.
Et ſimul ac Vates fuit arcto è carcere miſsus,
In primis charæ ſupplex dedit oſcula terræ,
Moxque Deo ſoluit tanto pro munere laudes,
Quem Deus affatur rurſum ſic ore benigno:
Annè meum poteras fugiens euadere vultum?
Annè meis animo iuſsis obſiſtere duro?
Nunc vero expertus mea ſit quam magna poteſtas,
In Niniuem grandem proficiſcere ſedulus vrbem,
Prædices in eam, proclamans voce ſonora,
Quæ tibi præcepi, & quæ fert mea firma voluntas.
Nec mora; Sancta Dei lætus mandata capeſsens

Feſtinus

Feſtinus Niniuen Ionas perrexit ad ipſam
Hæc erat in toto longè clariſsima mundo,
Atque adeo grandis, tribus vt luſtranda diebus
Eſſet, & excelſis ad cœlum mœnibus vſque
Munita, innumeris quacumque referta colonis.
Ingreditur vates vrbem, per compita clamans:
O infœlices Niniuitæ, quos cito dira
Vltio corripiet, quadragintaque diebus
Elapſis Niniuæ ruet vſque ad fundamenta.
Atque ſolo fiet flammis cœleſtibus æqua,
Ne ficta aut falſa hæc, ciues, mea credite verba,
Nam Deus Omnipotens cœlo qui conſidet alto,
Qui totum quondam cathaclyſmo ſubruit Orbem:
Cui non humanæ poſſunt obſiſtere vires,
Hæc me legatum vobis prædicere iuſsit.
Fecit iter Ionas vnius in vrbe diei,
Vaticinans clara miſerandam voce ruinam,
Nec tantam poſſe indigenas auertere cladem,
Quam merito intentat ſupremi Numinis ira,
Sed ciues adeo vox hæc perterruit omnes.
Vt cœli Dominum, maieſtatemque verentes
Diuinam, ſubito pertæſi, crimina ſummi
Externis dederint ſignis documenta doloris.
Nam trepidas ſtrauit mentes pauor, vndique clamor
Tollitur in cœlum, ſceleris mens conſcia cuique eſt,
Dimittunt epulas & largæ gaudia menſæ,
Indicuntque ſibi ieiunia maxima cuncti,

Iumentis

Iumentis etiam prohibentes pabula mutis.
Tum veſtes auro intextas, pallaſque ſuperbas
Abijciunt, hirtiſque tegunt ſua corpora ſaccis,
Et capiti cinerē imponunt, iuueneſque, ſeneſque
Pectora contundunt pugnis: ſqualloreque tabent
Matronæ inprimis, pueri, innuptæque puellæ,
Cum primum rumor regis peruenit ad aures
Extimuit; ſolio ſurrexit, ſceptra reliquit,
Detraxitque ſibi ſaturatum murice amictum,
Et veſtem indutus ſetoſam in puluere ſedit
Vili abiectus humo, atque rigans ſua pectora fletu,
Conuentuque habito, tota præcepit in urbe
Clamari edicto regis, procerumque ſuorum.
Omnes ſiue homines, ſeu ſint armenta gregeſque
Ieiunent; omni abſtineant potuque, ciboque,
Nec pecudes guſtent occluſæ gramina ſeptis,
Dulcia neu pueri lactentes ubera ſugant,
Vilibus & ſaccis animantia bruta tegantur,
Sic afflicta Deum communi uoce precentur,
Et valide pulſent diuini Numinis aures
Omnia ne referant æquali pondere cladem,
Inprimis homines (ob quorum crimina tantum
Imminet exitium) culpa deſiſcere ab omni
Incipiant: ueteres detergant pectore fraudes,
Dimittant luxus, cædes, ſædaſque rapinas,
Nulla ſit in manibus turpis uiolentia cuiquam,
Iuſtitiæ ſtudeant omnes: benefacta ſequantur,

Virtutiſque

Virtutisque viam curent insistere rectam,
Nam fortasse Deus (quis enim cognoscere sensum
Ipsius potuit) iustas qui exarsit in iras,
Cunctorum miseris placatus vocibus, atque
Diuina ponens vltricia fulmina dextra,
Cessabit nobis meritas infligere pœnas.
Vulgantur totam regis mandata per vrbem,
Extemplo parent cuncti, miserandus vbique,
Fit clamor squallent iuuenes pallore, senesque
Abstergunt largo commissa piacula fletu
Tollentes duplices cum voce ad sydera palmas.
Perpetrasse pudet transactæ crimina vitæ,
Et castos renouant ventura in tempora mores,
Tum Deus è summa spectans mitissimus arce,
Quæ Niniuitarum fuerit conuersio rerum,
Vt scelerum pigeat; vitiorum calle relicto,
Virtuti inuigilent; ipsi sua crimina plectant.
Hoc pia constituit commotus viscera secum.
Non ego ferali delector morte malorum.
Nec cordi est, homines æternis tradere pœnis,
Sed quia mutatis Niniuitæ mentibus, à me
Exposcunt veniam lachrymis, ego fulmina linquam,
Et quam decreui, desistam inferre ruinam.
En ipsos clemens vlnis complector amoris.

Capit. 4. *Tanta Dei haud placuit pietatis copia Ionæ,*
Quin sua dimetiens, male suadus commoda, secum
Valde indignatus, feruenti excanduit ira.

Nam

Nam magis innumeræ cupiebat funera gentis,
Quam ſua fruſtari factis minitantia verba,
Præcipitique Deum impatiens ſic voce precatur:
Cur mihi, Magne Parens, ſæua hæc tormẽta reſeruas?
Cur non me Ceti liquiſti ventre ſepultum?
Id ſatius fuerat quam vitæ euadere in auras,
Vt mala tot patiar: non eſt iam viuere gratum,
Sed tempeſtiua me fas occumbere morte,
Nam quid, quæſo, viro mendaci infenſius vſquã eſt?
Nonne ego cum patriæ habitarem in finibus, ante
Prædixi morem, quo fontes veteris erga?
Noui quam mitis, patiens, pius, atque benignus,
Quam ſis pacis amans, quouis qui flectere planctu,
Extemplo ignoſcens contritis crimina corde,
Propterea in Tharſum ſtatui, tua iuſſa recuſans,
Maturare fugam; aſt eadem me in damna relegas.
Nunc igitur cupio tantos finire dolores,
Et iuuat ingratæ mortem præponere vitæ
Cui Deus: ô demens, furiſque agitate malignis,
Quænam te inſanum tam triſtis vexat Erynnis?
An non immerita fruſtra excandeſcis ab ira?
An quia ſum clemens ego, tu crudelia tractas
Conſilia? anne meo tuus, hem præponderat ardor?
Iam reſipiſce miſer, pius & mea iuſſa capeſſe.
Dixerat hæc Dominus, cũ magna promptus ab vrbe
Egreſſus Ionas, collis (qua ſolis ad ortum
Ipſa vrbs vergebat) conſcendit culmen, vt inde

Proſpi-

Proſpiceret miſeræ quidnam contingeret vrbi.
Tempus erat rapidis cum terras, Sirius vrit
Ignibus; & tuguri conſtruxit pauperis inſtar
Exiguum Ionas tectum, quo pelleret æſtum.
Illius aſt caput vrgebat vis tanta caloris
Acriter vt toto langueſcens corpore ferret,
Quæ Deus Omnipotens miſerans incommoda, iuſsit
Expanſam foliis hederam: ſemperque virentem
Enaſci ſubito, tuguri quæ culmina texit.
Et dedit aduerſus ſoles vmbracula grata,
Grata adeo vt Ionas exultans munere tanto,
Magna reportaret victo velut hoſte trophæa.
Poſtera iam mundo gelidas aurora tenebras
Expulerat, roſeo procedens aurea vultu,
Ecce Dei nutu bruchus tellure ſub ima
Corrodens teneram radicem protinus ipſam
Arentem ſpoliat foliiſque viroreque plantam,
Mox calidus ſolis perflauit ventus ab ortu,
Conficiens vatem, radijs quem Phœbus ab alto
Torquebat validis. Qua propter percitus ira,
Et nimium mœrens, Domino ſic dicere cœpit;
Vt quid ego infœlix viuam? cum tutius eſſet
Sponte mori, inuitum quam tot perferre labores,
O anima, ecquando mortalia membra relinques?
Ecquando infernos deſcendes viſere manes?
Tum Ionam Omnipotens, verbis ſic mulcet amicis;
Nonne tuæ cauſas iræ prætendis inanes?

Tu

Tu interitum defles hederæ, quæ tempore noctis
Vnius exorta est; & nocte exaruit una,
Atque tuo fuerat nullo producta labore.
Parcere me ingenti non est ah iustius vrbi?
Millia multa virûm, pecudum, quæ & iumentorũ,
Continet, innumera, & puerorum millia, qui non
A recto norunt vitium discernere turpe,
Conscia nec tenera est cuiusquam criminis ætas.
Quos ego seu genitor diuino amplector amore,
Pro quorum vita patiar, mortemque subibo?

¶ *LAVS DEO.*

✠

¶ Omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ, & correctioni humiliter subijcio.

INDEX LOCORVM Sacræ Scripturæ, quæ in his ſuper Ionam commentarijs citantur & explicantur.

GENESIS.

Cap.	Nu.		
1.	3.	DIXIT Deus fiat lux.	Pag. 102.
1.	20.	Creauit Deus Cete grandia.	66.
3.	9.	Adam vbi es, &c.	158.
3.	14.	Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.	219.
4.	10.	Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.	11.
4.	14.	Ecce à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus, &c.	27.
4.	16.	Egreſſuſque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra.	13.
6.	7.	Delebo hominem, quē formaui à facie terræ ab homine vſque ad animantia, &c.	138.
8.	5.	Aquæ ibant, & decreſcebant.	48.
10.	9.	Et erat robuſtus venator coram Domino.	108.
10.	11.	De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen, &c.	112.
31.	35.	Quia iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.	141.
13.	13.	Homines autem Sodomitæ peſsimi erant, & peccatores coram Domino nimis.	108.
14	13.	Nuntiauit Abraham Hebræo.	43.
14.	19.	Benedictus Abraham Deo excelſo.	110.

Ambula

17. 1. Ambula coram me, & esto perfectus. 12.
18. 16. Clamor Sodomorum, & Gomorræorum, multiplicatus est. 11.
23. 6. Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, &c. Pag. 108.
31. 50. Si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas, nullus sermonis nostri testis absq; Deo, &c. 127.
42. 18. Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo. Pag. 127.
50. 24. Post mortem meam, Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet, &c. 238.

✻ EXODVS. ✻

32. 14. PLacatusq; est Dominus, ne faceret malũ, quod locutus fuerat aduersus populum suum. 160
3. 15. Hæc dices filijs Israel: Dominus Deus patrũ vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, &c. 237.
9. 18. Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei. 108.
14. 24. Factum est in vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus, &c. 231.
15. 1. Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus est, &c. 205.
17. 4. Adhuc paululum, & lapidabit me. 115.
18. 12. Veneruntque Aaron, & omnes seniores Israel, & comederunt panem cum eo coram Deo. 14.
23. 17. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. 14.
32. 8. Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis, &c. Pag. 140.

✻ DEVTERONOMIVM. ✻

8. 6. VT custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, &c. 141.

* IOSVE. *

7. 15. PEccauit Israel, & præuaricatus est pactum. 43.
22. 5. Vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, &c. 141.
23. 14. En ego ingredior hodie viâ vniuersæ terræ. 141.

* IVDICVM. *

20. 18 ¶ Surgentes venerunt in domum Dei. 7.

* REGVM PRIMVS. *

3. 1. ET sermo Dñi erat pretiosus in diebus illis. 4.
26. 12. Quia sopor Domini irruerat super eos. 108.
2. 1. Exultauit cor meum in Domino, &c. 245.

* REGVM SECVNDVS. *

12. 22. QVIS scit si forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans? 143.
14. 30. Surrexit Ioab, & venit ad Absalon. 7.
15. 14. Surgite fugiamus. 7.
17. 18. Iratus est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, &c. 14.
24. 17. Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi; isti qui oues sunt, quid fecerunt? &c. 49.

* REGVM TERTIVS. *

2. 2. EGO ingredior viam vniuersæ terræ. 141.
8. 46. Si reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua, &c. 67.
10. 8. Beati sunt serui tui, ij, qui coram te stant. 12.
15 16. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulauit in vijs patris sui. 140.
17. 24. Nunc in isto cognoui, quia vir Dei es tu. 5.
19. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neq; enim melior sum quam patres mei. 157.
19. 4. Cumque veniisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur. 168.

¶ RE-

* REGVM QVARTVS. *

5. 16. VIVIT Dominus, ante quem sto, quod non accipiam, &c. 12.

14. 25. Ipsa restituit terminos Israel ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, &c. 5.

17. 15. Et ambulauerũt post vanitatem, & vani facti sunt. Pag. 98.

17. 18. Iratus est Dominus vehementer Israeli, &c. 14.

¶ PARALIPOMENON PRIMVS.

12. 22. SED & per singulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vsque dum fieret grandis numerus, sicut exercitus Dei. 108.

22. 19. Surgite, & ædificate sanctuarium Dño Deo. 7.

* TOBIAE. *

3. 6. ET nunc Domine secundum voluntatẽ tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meũ. Pag. 157.

IOB.

1. 12. NVDVS egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. 203.

1. 21. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. 85.

1. 12. Egressus est Sathan à facie Domini. 13.

2. 13. Sederunt cum eo in terra septem diebus. 135.

19. 25. Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c. 238.

22. 4. Saluabitur innocens: saluabitur autem in munditia manuum suarum. 142.

40. 19 In oculis eius, quasi hamo capiet eum, &c. 221.

PSALMORVM.

1. 1. Beatus vir, qui non abijt in cõcilio impiorum, & in via peccatorũ non ſtetit. 140.
2. 1. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, &c. 199. & 250.
2. 7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te. 250.
55. 4. Ab altitudine diei timebo. 240.
3. 9. Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. 102.
4. 1. Cum inuocarem exaudiuit me Deus. 82.
5. 8. Adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo. 45.
6. 7. Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, &c. 185.
7. 12. Deus Iudex iuſtus, fortis, & patiens, &c 11.
10. 4. Dominus in Templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius. 45. & 96.
11. 7. Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne, &c. 183.
15. 10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 204. & 243.
17. 8. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de Templo ſancto ſuo vocem meam. 96.
17. 19. Præuenerũt me in die afflictionis meę, &c. 242.
21. 7. Ego ſum vermis, & non homo. 251.
23. 4. Innocens manibus, & mundo corde. 142.
24. 16. Reſpice in me, & miſerere mei. 88.
24. 4. Vias tuas Domine demõſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. 141.
30. 7. Odiſti obſeruãtes vanitates ſupervacuè. 88. & 98.

Ego

30. 23. Ego dixi in exceſsu mentis meæ. 95.
33. 16. Oculi Domini ſuper iuſtos. 88.
35. 8. Homines,& iumenta ſaluabis Domine. 138.
36. 7. Iuſtitia tua ſicut montes Dei. 108.
37. 7. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem tota die contriſtatus ingrediebar. 185. & 242.
40. 1. In die mala liberabit eum Dominus. 147.
41. 8. Omnia excelſa tua,& fluctus tui ſuper me tranſierunt. 87.
41. 9. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte, &c. 239.
42. 3. Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè. 8.
44. 8. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus,&c. 238.
45. 3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. 85.
50. 5. Quoniam iniquitatē meam ego cognoſco,& peccatum meum contra me eſt ſemper. 101.
50. 6. Tibi ſoli peccaui. ibidem. & 109.
50. 13. Ne proijcias me à facie tua. 89. & 101
50. 10. Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. 101. & 165.
64. 10. Flumen Dei repletum eſt aquis. 108.
76. 4. Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum,& defecit ſpiritus meus. 95.
67. 15. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ de argentatæ, &c. 182.
68. 1. Saluum me fac Deus,quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam,&c. 90. & 200.
77. 34. Cum occideret eos quærebant eum,&c. 74.
79. 11. Operuit mōtes vmbra eius,& arbuſta eius cedros Dei. 108.

80. 4. Israel si in vijs meis ambulasset, &c. 141.
83. 1. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Dñi. 89.
87. 5. Aestimatus sum cũ descendentibus in lacum.
87. 12. Nũquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, &c. 75.
92. 4. Mirabiles elationes maris. 87.
106. 13. Clamauerunt ad Dominum cũ tribularentur. 74.
106. 23 Qui descendunt mare in nauibus, &c. 22.
106. 25 Dixit, & stetit spiritus procellæ. 102.
106. 26. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abysos. 86.
110. 10. Initium sapientiæ timor Domini. 44.
112. 5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat. 45.
113. 11. Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit. 45.
117. 24 Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. 224.
118. 1. Beati immaculati in via. 141.
118. 55. Clamaui in toto corde meo, exaudime Dñe. 137.
119. 1. Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. 82.
119. 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Pag. 202.
121. 1. Lætatus sum in ijs, quæ dicta sunt mihi, in domũ Domini ibimus, &c. 89.
126. 2. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. 135.
129. 1. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. 82.
131. 1. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. 179.

Super

136. 1. Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur Syon, &c. 186.

136. 7. Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, &c. 241.

138. 7. Quo ibo à spiritu tuo? aut quo à facie tua fugiam, &c. Pag. 12.

141. 4. In deficiendo ex me spiritum meum. 96.

148. 5. Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. 102.

45. 4. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. 180.

✻ PROVERBIORVM. ✻

16. 33. SOrtes mittuntur in sinum. 37.

28. 1. Fugit impius nemine persequēte: iustus autem quasi leo confidens sine terrore erit. 27.

✻ ECCLESIASTES. ✻

1. 13. HANC occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum. 147.

✻ CANTICORVM. ✻

1. 11. MVrenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 183.

2. 10. Surge propera amica mea, columba mea, & veni. Pag. 181.

2. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. 182.

7. 10. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. 182.

✻ SAPIENTIAE. ✻

6. 8. PVsillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. 9.

9. 8. Et dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo. 102.

17. 18. Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos, &c. 27.

ECCLE-

✻ ECCLESIASTICI. ✻

24. 40. EGO sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, &c. 207.

✻ ISAIAE. ✻

1. 15. CVM extenderitis manus vestras auertam oculos meos, &c. 145. & 238.
61. 1. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me, &c. 187.
5. 7. Et expectauit, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iustitiam, & ecce clamor. 11.
10. 24. Ab Assur in in virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via Aegypti. 141.
23. 1. Vlulate naues Tharsis. 17.
34. 3. Interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorum ascendit fœtor. 11.
38. 1. Aegrotauit Ezechias vsque ad mortem. 170.
38. 14. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. 184.
38. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 186.
38. 18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, &c. 76.
42. 10. Qui descēditis in mare, & plenitudo eius, &c. 22.
49. 6. Parum est, vt sis mihi servus ad sustentandas tribus Iacob, &c. 189.
53. 8. Generationem eius quis enarrabit. 180.
58. 1. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. 10.

✻ IEREMIAE. ✻

17. 16. ET diem hominis non desideraui, tu scis. 239.
18. 8. Agam & ego pœnitentiam de malo, quod cogitaui

gitaui facere ei. 155.
22. 21. Hæc est via tua ab adolescentia tua, &c. 140.
23. 24. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dñs. 12.
34. 18. Qui præuaricantur pactum meum. 43.
26. 2. Noli auferre verbum, si forte audiant, & conuertantur, &c. 143.

✻ THRENORVM. ✻

1. 1. ¶ Quomodo sedet sola ciuitas plena populo. 135.

✻ EZECHIELIS. ✻

2. 4. ET dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: si forte audiant, &c. 143.
14. 22. Ecce ipse egredietur ad vos, & videbitis viam eorum, &c. 140.
27. 12. Carthaginenses nauigatores tui. 17.

✻ DANIELIS. ✻

1. 5. ¶ Postea starent in conspectu Regis. 12.

✻ OSEAE. ✻

1. 4. ADhuc modicum, & visitabo sanguinē Iezrael. Pag. 115.
3. 4. Quia multos dies sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe. 135.
10. 13. Quia confisus es in vijs tuis, & in multitudine fortium tuorum. 140.
13. 14. O Mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. 202

✻ IOELIS. ✻

2. 7. VIRI in vijs suis gradientur. 24.
2. 13. Quia benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Pag. 153. & 155.
2. 14. Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem.

* AGGAEI. *

2. 7. ADhuc vnum modicum, & ego cõmovebo cœlum. 115.

* MACHABÆORVM. I. *

2. 22. NON audiemus verba regis Anthiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mãdata, vt eamus altera via. 140.

Quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israel, &c. 145.

LIBRI NOVI TESTAMENTI.

MATTHAEI I.

3. 14. EGO debeo à te baptizari, & tu venis ad me? Pag. 171.

4. 3. Dic vt lapides isti panes fiant. 102.

4. 10. Deum tuum adorabis. 44.

5. 5. Beati, qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur. Pag. 185.

6. 34. Sufficit diei malitia sua. 147.

8. 8. Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. 102.

10. 15. Estote prudentes sicut serpẽtes; & simplices sicut columbæ. 179.

11. 23. Forte mansissent vsque in diem hanc. 144.

11. 29. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. 180.

12. 40. Sicut Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, &c. 68. & 73.

12. 41. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, &c. 128.

12. 90. Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ, &c. Pag. 75. & 217.

Non

15. 27. Nõ eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. 191.
20. 21. Dic vt ſedeant hi duo filij mei. 102.
21. 43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius. 149.
22. 31. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, &c. 237.
25. 6. Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. 227.
27. 52. Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant reſurrexerunt, &c. 232.
28. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: euntes ergo, &c. 191.
28. 1. Veſpere autẽ Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati venit Maria Magdalenæ. 225.

* MARCVS. *

16. 16. EVntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. 191. & 251.

LVCAS.

1. 15. ERIT enim magnus coram Domino. 109.
1. 17. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto. 154. & 190.
1. 42. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &c. 245
1. 78. Illuminare ijs, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, &c. 290.
2. 25. Et homo iſte iuſtus, & timoratus. 45.
2. 48. Quia viderũt occuli mei ſalutare tuum, &c. 189.
6. 25. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. 185.
11. 30. Sicut fuit Ionas ſignum Niniuitis, ita erit filius hominis generationi huic. 100.

Qui

12. 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. 46.
15. 17. Surgam, & ibo ad Patrem meum. 7.
19. 42. Si cognouisses & tu in hac die tua, quæ ad pacem tibi, &c. 239.
22. 14. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarū. 242.
23. 34. Pater dimitte illis, quia nesciūt quid faciūt. 186.
24. 19. Qui fuit vir propheta potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo. 110.
24. 39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, &c. Pag. 223.

* IOANNES. *

1. 33. SVPER quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, &c. 181.
3. 14. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, &c. 197.
3. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. 154.
3. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. 246.
11. 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, &c. Pag. 193.
11. 50. Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat. 194.
13. 1. Sciens IESVS, quia venit hora eius, &c. 242.
13. 6. Domine, tu mihi lauas pedes? 171.
14. 6. Ego sum via, & veritas, & vita. 187.
20. 27. Infer digitū tuum huc, & vide manus meas, &c. Pag. 223.
8. 16. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, &c. 239.
8. 35. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Pag. 242.

ACTVS

✻ ACTVS APOSTOLORVM. ✻

8. 22. POenitentiam itaquè age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 143.

9. 2. Et petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ, &c. 140.

10. 35. Sed in omni gẽte, qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi. 9.

13. 64. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, &c. 248.

2. 29. Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, &c. 243.

2. 24. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, &c. 218.

EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.

5. 3. SCientes quoniam tribulatio patientiã operatur, patientia autem probationem, &c. 95.

6. 21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus non erubescitis? 98.

8. 3. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatũ, &c. 197.

8. 26. Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus. 184.

10. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 46.

11. 33. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. &c. Pag. 62. & 246.

13. 11. Hora est iam de somno surgere, &c. 242.

✻ AD CORINTHIOS PRIMA. ✻

4. 3. MIHI autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. 240.

Si

15. 4. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, &c. 217.
15. 54. Absorta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? &c. 201.

✻ AD CORINTHIOS. 2. ✻

5. 21. EVM, qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit. 198.

✻ AD EPHESIOS. ✻

1. 27. CHRISTVS dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, &c. 182.
2. 4. Deus qui diues est in misericordia. 155.
3. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare, &c. 188
4. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? 204.
5. 16. Redimentes tempus; quoniâ dies mali sunt. 147.

✻ AD PHILIPPENSES. ✻

2. 10. IN nomine Iesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. 205.

✻ AD TITVM. ✻

3. 5. SEcundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c. 181.

✻ AD HEBRAEOS. ✻

9. 24. VT appareat nunc vultui Dei pro nobis. 233.
11. 17. Fide obtulit Abraham, Isaac cum tentaretur, &c. Pag. 240.

✻ PETRI PRIMA. ✻

1. 21. CHristus passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, &c. 180.
3. 22. Per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem, &c. 201.

¶ PETRI SECVNDA.

1. 21. NON enim voluntate humana allata est aliquando prophetia. 4.

* IOANNIS PRIMA. *

1. 1. QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, &c. 223.
2. 16. Omne quod est in mũdo cõcupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Pag. 206.
2. 18. Filioli, nouissima hora: & sicut audistis, &c.

* APOCALYPSIS. *

2. 7. VINCENTI dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. 216.
17. 15. Aquæ, quas vidisti vbi meretrix sedet, &c. 199.

¶ LAVS DEO.

INDEX RERVM & sententiarum, quæ his super Ionæ commentarijs continentur.

A.

ABRAHAM Patriarcha quare dictus sit Hebræus. Pag 43.
Abraham quomodo diem Christi viderit, & exultauerit. 240.
Abraham similitudinem Dei Patris gessit. 237.
Abraham simul cum Christo resurrexit. 236.
Abel primus martyr cum Christo resurrexit. 236.
Adam, & Eua cum Christo resurrexerunt. 236.
Adhuc, in Sacris litteris idem quod post. 115.
Adhuc, misericordiam Dei denotat. 134.
Agnus Dei (vt vocant) à Christianis tempore tempestatis si mittantur in mare sœpissime sedatur. 26.
Anna Prophetiz commendatur. 245.
Anna mater Samuelis commendata. 245.
Animalia irrationabilia quare vna cum hominibus plectantur. 137.

Anima pro vita sæpius in sacris litteris. 54.
Arionis historia quæ, & an sit vera 64.
Aurum, gemmæ & alia pretiosa ad sedandũ mare tempore tempestatis à multis nauigantibus proijciuntur. Pag. 25.
Ascendere in Sacra Scriptura quid. 10.

C.

CARMINA, qua soluta oratio, maiorem emphasim continent. 79.
Calamitates serui Dei, Deo debent ascribere. 85.
Cetus post Ionam euomitum, an statim interierit. 103
Charitas siue gratia, & dona spiritualia, per aurum significantur. 183.
Christus realiter & præsentialiter descendit ad inferos, Pag. 204.
Christus quare dicatur agnus occisus ab origine mundi. Pag. 194.
Christus quare voluit præsentialiter ad inferos descendere. Pag. 207.
Christus an resurrexit media nocte. 225.
Christus quomodo dicatur peccatum. 197.
Christus quare resurrectionem suam vltra triduum nõ distulit, nec ante triduum resurrexit. 209.
Christus quomodo fuit in inferno tribus diebus, & tribus noctibus. 211.
Christus resurrexit cum vulnerum foraminibus. 222.
Christus incertum qua hora resurrexit. 231.
Christus nusquã legitur risisse, sed sæpe fleuisse. 185.
Christi fœcunditas in filijs adoptionis quanta. 186.
Christum quare oportuerit incarnari, & pati. 193.
Clamor in sacris litteris quid significet. 11.

Columbæ proprietates. 179.
Columbæ appellatio, quomodo Christo, & Ecclesiæ competat. 179.
Continens pro contento. 243.
Confiteri publice catholicam fidem, quomodo sit necessarium. 46.
Coram Deo, quid significet in sacris litteris. 109.
Cor in Sacra Scriptura, quid. 84. & 85.
Cor terræ, quid. 85, & 203.
Creaturæ omnes contra peccatorē insurgunt. 27. 47.
Credere in Deum, quid. 126.

D.

DAVID an cum Christo resurrexerit. 243.
Dauidis mansuetudo eximia. 179.
Dei cura maxima in procuranda hominū salute. 7.
Deus vult Prophetas suos alta voce clamare contra populi peccata. 10.
Dei facies, quid in sacris litteris. 13.
Dei erga Ionam summa benignitas, atq; clemētia. 107
Dei famuli ad eum in periculis confugiunt. 94.
Dei famuli maximum ex tribulatione lucrum reportāt. Pag. 94. 136.
Dei famuli proximorum saluti inuigilant. 97.
Deus valde curat hominum salutem. 7.
Dei dicuntur, quæ magna sunt. 108.
Dei, in gignendi casu, & Deo, in dandi, quomodo differant. 108.
Deum pœnitere, quomodo intelligatur. 147.
Dei ad miserandum propensio quanta sit. 147.
Dei seruj quomodo mortem optarent sibi. 157.
Deus non semper cum ignoscit omnino pœnam remittit. Pag. 159.

Dæmones, quomodo in descensu Christi ad inferos deterriti fuerunt. 205.
Dæmonis regnū tribus præcipuè vitijs fulcitur. 206.
Dicere pro imperare, siue efficere. 102.
Dies pro tempore in sacris litteris sæpe sumitur. 239.
Dextera, & sinistra, quid in sacris litteris. 250.
Dominica dies sic appellata ab Apostolorum tempore. Pag. 224.

E.

ELisabeth mater præcursoris, prima inter omnes mortales post Beatā Virginem, mysterium incarnationis cognouit, & prædicauit. 245.
Esse, vel stare coram aliquo, quid. 17.
Et, coniunctio, quid in sacris litteris denotet. 3.
Et, causam in sacris litteris, sæpe denotat. 95.
Ethnici auctores multa ex sacris litteris vsurparūt. 96.
Elohim, Dei nomē, quid. 127.

F.

FIDEI candor, argento comparatur. 183.
Filius noctis, quid significet. 172.
Fortè, seu forsitan aduerbiū, in sacris litteris quid. 143
Fugere, vel egredi à facie Dei, quid. 12.

G.

GEDEONIS vellus in area positum bis, quid significet. 249.
Gentiles per maris fluctus significati. 199.
Gentilium vocatio mira fuit Dei gratia. 188.
Gentilibus, quare Christus quoad vixit, nec per se ipsum, nec per discipulos suos voluit prædicare. 191.

H.

Hebraica lingua caret aduerbijs. 139.
Hedera pro cucurbita, quare à D. Hieronymo translata. 162.
Hora pro tempore vsurpatur. 242.
Homines à belluis mansuetudine vincuntur. 51.
Homicidium valde vitandum. Pag. 50. & sequentibus.
Hedera Ionæ caput obumbrans, quid significet. 251.

I.

IACOB figura fuit Spiritus Sancti. 237.
Iacob benedicturus duobus nepotibus suis, quare manus commutauit. 249.
Iacob vna cum Christo resurrexit. 236.
Ieiunij vis, & vtilitas. 130.
Ioachim, & Anna parentes Virginis simul cum Christo resurrexerunt. 243.
Ioannes Baptista quare non resurrexit simul cum Christo. Pag. 246.
Ioannis caput vbi nam asseruetur. 247.
Iob resurrexit cum Christo. 238.
Inferni dolores, qui sint. 218.
Infernus quatuor continet loca, seu domicilia. 203.
Infernus per ventrem Ceti figuratus fuit. 202.
Infernus pro sepulchro accipitur. 76.
Infernus quare appelletur terra obliuionis. 76.
Ionas eximius fuit Propheta, & præter suam historiam alia plurima vaticinia edidit. 5.
Ionas cuius filius fuerit. Pag. 5.
Ionas cur fugerit à facie Domini. 14.

Ionas, an fuerit nudus proiectus in mare. 56.
Ionas quare se abscondérit in naui, & somno tradiderit. Pag. 26.
Ionas à nauis præfecto merito obiurgatur. 29.
Ionas an Deum orauerit in naui, ante quam in mare proijceretur. Pag. 31.
Ionas cur prius maris, quam terræ meminerit. 45.
Ionas simul, atque in mare proiectus fuit à pisce deuoratus extitit. Pag. 70.
Ionas cur deuoratus à bellua marina, & non dorso exceptus. Pag. 71.
Ionas non fuit in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus integris. 74.
Ionas an fuerit ter mortuus. 75.
Ionas quomodo profundum maris penetrauerit. 92.
Ionas in ventre Ceti an mare Rubrum viderit. 92.
Ionas quomodo fuerit signum Niniuitis. 99.
Ionas in quod littus fuerit à Ceto euomitus. 103.
Ionas an totam vrbem lustrauerit prædicando. 114.
Ionas præter illa verba: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, multa alia Niniuitis proposuisse, probabile est. 125.
Ionas prædicando Niniuitis, an aliquod fecerit miraculum. 127.
Ionas an peccauerit mortem sibi optans. 157.
Ionas nomen, quid significet. 179.
Ionas simul cum Christo resurrexit. 243.
Ionæ patria quæ fuerit. 6.
Ionæ pater Amithai, etiam fuit Propheta. 6.
Ionæ charitas erga socios. 49.
Ionæ in ventre Ceti prodigiosa detentio. 75.
Ionæ oratio ad Deum in ventre piscis, fuit carmine lirico concinnata. 79.

Ionæ magna in Deum fiducia. 75.
Ioppe vrbis descriptio. Pag. 20. & sequentibus.
Israelitæ quando Iudæi fuerint vocati. 42.
Ire, pro crescere, sæpe sumitur. 48.
Ioseph sponsus B. MARIÆ, vna cum Christo resurrexit, & quare. 343.
Ioseph Patriarcha cum Christo resurrexit. 238.
Isaac cum Christo resurrexit, & eius fuit figura. 237.
Iudices temerè sententiam mortis ferentes, quam male agant. 54.
Iustificatio impij maximum Dei opus. 126.

L.

SANCTVS Latro simul cum Christo resurrexit. Pag. 244.

M

MARE terræ respectu, inferius est. 20.
Manus pro operibus. 142.
Malitia in sacris litteris, quid. 147.
MARIAE Deiparæ, gratiæ plenitudo quanta fuerit. Pag. 192.
MARIA Virgo quare aliquot annis post Christi resurrectionem vixerit in hac mortali vita. 46.
Mors veluti sortium vrna. 38.
Mors quomodo à Christo fuerit victa. 202.
Mulieres, an aliquæ cum Christo resurrexerint. 244.

N.

NAutæ Ionæ socij surgent in iudicio contra homicidas. Pag. 52.

Nautæ erga Ionã quã fuerint misericordes, & pij. 47.
Nautæ prædicti verum Deum cognouerunt post Ionæ demersionem. 58.
Nicephori error de Christi descensu ad inferos. 215.
Ninus Assyriorum Rex primus Niniuen cõdidit, suoq; nomine insigniuit. Pag. 8.
Nini eximia potẽtia, maiestas, & in bellis fœlicitas. 8.
Nini pater quis fuerit. Pag. 8.
Niniue iuxta fluvium Tigrim condita. 8.
Niniues quanta fuerit magnitudo. 110.
Niniues Rex quis esset cum Ionas prædicaret. 132.
Niniues Regis pœnitentia, cum pœnitentia Regis Dauidis comparatio. 133.
Noe cum Christo resurrexit, & ipsum præfigurauit. Pagina. 236.

O.

ORIGENES cauendus circa Ionæ prædicationem. Pag. 122.

P.

PAradisus in sacris litteris, quid significet. 215.
Pauli Middeburgensis error circa triduum mortis Christi. 212.
Peccatum pondus grauissimum. 26.
Peccatorum timor. 27.
Peccato nihil turpius, neque fallacius. 98.
Peccatum pro sacrificio pro peccato. 197.
Pœniteutia vera in quo consistat. 136.
Pœnitentia tribus rebus maxime indiget. 145.
Piscium incredibilis magnitudo. 67. & sequentibus.
Piscis qui Ionam deuorauit quisnam fuerit. 68.
Pretiosum aliquid esse in sacris litteris, quid. 4.

Prædicatorum munus, quod sit. 16.
Prophetiæ quomodo aliquando non implentur. 119.

R.

RABBI Selemon error de pisce Ionam deuorante. Pag. 78.
Rabbinorum expositionibus non valde adhærendum. Ibidem. 78.
Restitutio bonorum raptorum necessaria ad veram pœnitentiam. 142.
Resurrexerint quinam cum Christo. 236.
Resurrexisse vna cum Christo multos sanctos ad gloriosam vitam probabile admodum est. 231.

S.

SAccus, vel cilicium signum pœnitentiæ. 129.
Salix arbor pœnitentiæ symbolum. 186.
Sedere in sacris litteris luctum præfefert. 135.
Sepulchrum quare appelletur terra obliuionis. 76.
Si, particula sæpe in sacris litteris supplenda. 143.
Simeon iustus Christum infantem cũ susceptit brachia cancellasse in modum crucis pie credi potest. 190.
Simeon simul cum Christo resurrexit. 244.
Singulare, pro plurali, sæpe in sacris litteris. 85.
Sortiendi modus multiplex fuit apud antiquos. 35.
Sortes in Ionam ter missæ in eum toties inciderunt. 35
Sortibus non sunt dignitates Ecclesiasticæ conferendæ. Pag. 32.
Sortium quotuplex genus. 32. & sequentibus.
Sortibus vti an liceat. 32. & seqq.
Surgere in sacris litteris festinationem indicat. Pag. 7.

Stare coram, seu in conspectu, est ministrare. 12.

T.

TEmpestas contra Ionam, & subito commota, & repentè sedata fuit. 57.
Templum videre pij homines in lege veteri maximè optabant. 89.
Templum pro cœlo. 96.
Terra mater communis omnium.
Tharsis quo Ionas fugere decreuerat, quid sit. Pag. 16. & sequentibus.
Timere Deum, in sacris litteris, quid significet. 44.

V.

VAnitas, pro idolatria. 98.
Vasa significant omne genus vtensilium instrumenti bellici armorum. 25.
Verbum Domini fieri ad aliquem, quid. 4.
Verbum Domini, seu sermo Domini, significat donum prophetiæ. Pag. 4.
Via in sacro sermone, quid significet. 140.
Videre Dei, quid. 146.
Vir in Sacra Scriptura sæpè pro nomine distributiuo vsurpatur. 24.

Z.

ZACHARIAS pater Ioannis Baptistæ, simul cum Christo resurrexit. 244.

¶ LAVS DEO.

¶ NE

* *

¶ *NE PAGINÆ SEQVENTES, vacuæ prorſus remanerent; operæ prætium viſum eſt apponere egregiam allegoriam ex D. Auguſtino, Epiſt. 49. ad Deo gratias de ſacris miraculis, quæſt. 6. vbi poſtquam quæſtionem illam agitauit: An Ionas nudus, vel veſtitus, deuoratus fuerit à Ceto, ſequentia ſcribit.*

NON ſanè abſurde, neque importunè requiritur, quid iſta ſignificent. vt, cum hoc expoſitum fuerit, non tantum geſta, ſed etiam propter aliquam ſignificationem conſcripta eſſe credantur. Prius ergo non dubitet Ionam Prophetam in aluo ingenti marinæ belluæ triduo fuiſſe, qui vult ſcrutari, cùrnam hoc factum ſit: non enim fruſtrà factum eſt, ſed tamen factum eſt. Si enim mouent ad fidem, quę figuratè tantum dicta, non facta ſunt: quãto magis mouere debẽt, quę figuratè nõ tantum dicta, ſed facta ſunt? Nam ſicut humana conſuetudo verbis, ita diuina potentia etiam factis loquitur. Et ſicut ſermoni humano verba noua, vel minus vſitata, moderatè ac decenter aſperſa, ſplendorem addunt: ita in factis mirabilibus congruenter aliquid ſignificantibus, quodammodo loculentior eſt diuina eloquẽtia. Proinde quid figurauerit, quod Prophetam bellua illa deuoratũ, tertio die viuum reddidit, cur à nobis quæritur, cum hoc Chriſtus exponat? Generatio, inquit, praua, & adultera ſignum queritur, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ: ſicut enim Ionas fuit in ventre Deti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Deus factis loquitur.

Matt. 12 39.

De

Dè ipſo autem triduo mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quomodo ratio reddatur, cum à parte totum intelligitur in die primo & nouiſsimo, vt toti tres dies idem cum ſuis noctibus computentur, longum eſt diſſerere, & in alijs ſermonibus iam ſæpiſsimè dictum eſt. Sicut ergo Ionas ex naui in alvum Ceti, ita Chriſtus ex ligno in ſepulchrum, vel in mortis profundum. Et ſicut ille pro ijs, qui tempeſtate periclitabantur, ita Chriſtus pro ijs, qui in hoc ſeculo fluctuant. Et ſicut primò iuſſum eſt, vt prædicaretur Niniuitis à Iona, ſed non ad eos peruenit prophetia Ionæ, niſi poſtea quàm eũ Cetus euomuit: ita prophetia præmiſſa eſt ad Gentes, ſed niſi poſt reſurrectionem Chriſti non peruenit ad Gentes. Iam verò quòd tabernaculum ſibi conſtituit, & cõſedit ex aduerſo ciuitatis Niniue, quid ei futurum eſſet expectans, alterius ſignificationis perſonam Propheta geſtabat. Præfigurabat enim carnalem populum Iſrael. Nam huic erat & triſtitia de ſalute Niniuitarum, hoc eſt, de redemptione & liberatione Gentium. Vnde venit Chriſtus vocare, non iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiam. Vmbraculum ergo cucurbitæ ſuper caput eius, promiſsiones erãt veteris Teſtamenti, vel ipſa iam munera, in quibus erat vtique, ſicut dicit Apoſtolus, vmbra futurorum, tanquam ab æſtu temporalium malorum in terra promiſsionis defenſaculum præbens. Vermis autem matutinus, quo rodente cucurbita exaruit, idem ipſe rurſus Chriſtus occurrit, ex cuius ore Euangelio diffamato, cuncta illa, quæ temporaliter apud Iſraelitas velut vmbratili prius ſignificatione viguerunt, euacuata marceſcunt. Et nunc ille populus, amiſſo Hieroſolymitano regno, & ſacerdotio & ſacrificio, (quod totum vmbra erat futuri) in captiua diſperſione magno æſtu tribulationis aduritur, ſicut

Triduum Chriſti.

Luc. 5. 32.

Col. 2. 17

ſicut Ionas, quod ſcriptum eſt, à ſolis ardore, & dolet grauiter, tamen dolori eius atque vmbræ, quam diligebat ſalus Gentiũ pœnitentiumq; præponitur. Ad huc cachinnent Pagani, & iam vermem Chriſtum, & hanc interpretationẽ prophetici Sacramenti ſuperbiore garrulitate derideant, dũ tamen & ipſos ſenſim, paulatimq; conſumat. Nam de omnibus talibus Eſaias prophetat, per quem nobis dicit Deus; Audite me, qui ſcitis iudicium, populus meus, in quorum corde lex mea eſt, opprobria hominum nolite metuere, & detractione eorũ ne ſuperemini, nec quòd vos ſpernãt, magni duxeritis: ſicut enim veſtimentum, ita per tempus abſumentur, & ſicut lana à tinea comedentur, iuſtitia autẽ mea in ęternum manet. Nos ergo agnoſcamus vermem matutinũ, quia in illo pſalmo, cuius titulus inſcribitur; Pro ſuſceptione matutina: hoc ſe ipſe nomine appellare dignatus eſt; Ego, inquit, ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Hoc opprobriũ de illis opprobrijs eſt, quæ iubemur non metuere per Eſaiam dicentem: Opprobria hominum nolite metuere. Ab iſto verme tamquam à tinea comedãtur, qui ſub eius dente Euangelico per ſingulos dies paucitatem ſuam deficiendo mirantur. Nos hunc agnoſcamus, & pro ſalute diuina, hùmana opprobria ſufferamus. Vermis eſt propter humilitatẽ carnis, fortaſsis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacunque re terrena, ſine vllo concubitu naſcitur. Matutinus eſt, quia diluculo reſurrexit. Poterat vtique illa cucurbita, & ſine vllo vermiculo areſcere. Poſtremò ſi habebat Deus ad hoc vermem neceſſarium, quid opus erat addere matutinum, niſi vt ille vermis agnoſceretur, qui cantat pro ſuſceptione matutina; Ego autem ſum vermis, & non homo? Quid iſta prophe-

Eſai. 51. c. 7.

Chriſtus vermis bifariam intelligitur.

Pſal. 21. a 7.

Eſai. 51. c. 7.

prophetia iam ipso rerum effectu & adimpletione lucidius? Si irrisus est vermis iste, cum penderet in cruce, sicut in eodem Psalmo scriptum est; Lacuti sunt labijs, & mouerunt caput: Sperauit in Deum, eruat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Cum completa sunt, quæ ibi prædixit; Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: Ipsi verò considerauerunt, & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, super vestem meam miserunt sortem, quòd tãta manifestatione futurum in libro antiquo prophetatur, quanta manifestatione factum in nouo Euangelio recitatur. Sed si in hac humilitate, vt dicere cœperam, iste vermis irrisus est, nunquid adhuc irridendus est, cum ea compleri cernimus, quæ consequentia Psalmus ipse habet? Commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ Gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Sic cõmemorati sunt Niniuitæ, & conuersi sunt ad Dominum; hanc salutem pœnitentiæ Gentium tanto ante præfiguratam in Iona, dolebat Israel, sicut nunc dolet vmbra nudatus, & æstu fauciatus.

Psal. 21. *a.* 8.

c. 17.

d. 28.

Iona 3. *b.* 5.

ERRATA

¶ ERRATA SIC CORRIGE.

PAG. 1. *lin.* 27. Ioppem. *lege* Ioppen.
Pag. 9. *lin.* 27. VEKARAHLCHA. *lege.* VKERAGHALEAH.
Pag. 20. *lin.* 25. Macbabæi, *lege* Machabæi.
Pag. 24. *lin.* 27. fruſtra, *lege* fruſta.
Pag. 87. *lin.* 21. HHALAI, *lege* GHALAI.
Pag. 126. *lin.* 15. Diuinæ Maieſtati, *lege* Diuina Maieſtate.
Pag. 157. *lin.* 22. quam vita mea, *lege* quam vitæ me æ.
Pag. 161. *lin. vltima*, attigit, *lege*, attingit.
Pag. 167. *lin. vltima*, defatigari, *lege* defatigare.
Pag. 167. *lin.* 16. contingerat, *lege* contigerat.
Pag. 168. *lin.* 7. poſt verba à ſua ſententia, *adde*, diſcedens, & Dei ſui benignitatem.
Pag. 184. *lin.* 26. gemebundo, *lege* gemebunda.
Pag. 185. *lin.* 19. nos docentem, *lege* nos docens.
Pag. 189. *lin.* 7. quibus, *lege* qui.
Pag. 193. *lin. vltima*, inhumani, *dele* in.
Pag. 212. *lin.* 28. contingerunt, *lege* contigerunt.
Pag. 241. *lin.* 32. evertererent, *lege* everterent.